HECA
4
LANA

~~57-7~~ 4984

~~57-6~~

~~Ø-9-1-29~~

~~79-11445~~

49

REG · COMPOST · ACAD · EX · BIBLIOT

Bibliotheca Colbertina.

# D. DAVIDIS PAREI

*Theologi Archi-Palatini celeberrimi*

# CHRONOLOGIÆ SACRÆ

*Ex ſolâ hiſtoriâ ſacrâ accuratiſſimè conſtructæ*

*LIBRI TRES:*

nunc recens in lucem editi Curâ & induſtriâ

PHILIPPI PAREI
Davidis Filij.

*Acceſſit* INDEX *Chronologiæ Sacræ; cum Epimetro Chronologico.*




*AMSTELREDAMI,*
Impenſis HENRICI LAURENTII.
Anno ∞ IↃ C XLI.

AUGUSTINUS

*De Civitate Dei Lib. xxj. Cap. vj.*

NOs non habemus neceſſe omnia credere, quæ continet hiſtoria gentium: cum & ipſi inter ſe Hiſtorici, ſicut ait Varro, quaſi datâ operâ, & quaſi ex induſtriâ per multa diſſentiant: ſed ea, ſi volumus, credimus, quæ non adverſantur libris, quibus non dubitamus oportere nos credere.

# DAVID PAREUS

*Filio ſuo chariſſimo*

# PHILIPPO PAREO

*S. P. D.*

MIRUM *nî tibi Boreas ad Lemannum calamos & chartas omnes diſcerpſit in iſto tam diuturno ſilentio tuo. Inde à Calendis Septemb. exacti ſeculi vix unas tuas accepi: eaſq; perbreves, quibus quidem tu me ad prolixiores de ſtatu tuo per neſcio quẽ datas remittebas. Ego nec hominem vidi hactenus, nec litteras. Sic igitur & tuas, & quas ſcribebas adjunctas venerandi D. Bezæ, nec non Clariſſimi viri D. Fayi mihi periiſſe intelligo. Lucubratiunculam meam Chronologicam tibi toties efflagitatam digeſtamque nunc mitto. Non curioſitatis eſt hæc quæſtio, aut oſcitantiæ: ſed usûs, & ſtudij maximi. Vtéris autem hac meâ opellâ pro filo, vel ſaltem pro ſcipione, ubi aliquando labyrinthos Chronologorum ſubire voles, inci-*

*deſque in infinitos receſſus.* *Artificum quidem judicium ſequi te malim, qui ſe in temporum calculo exercitatos profitentur.* *Quis enim Mundi Chronologiam* Funccio *conſtruxit uberius? quis* Mercatore *acutiùs? quis* Bibliandro *diligentiùs? quis* Scaligero *eruditius? quis* Bucholſero, *Sileſiæ noſtræ lumine, probabilius? quis* Grantzhemio, *ejuſdem gentis noſtræ decore popularius? Taceo* Lutherum, Carionem, Melanthonem, Chytræum, Buntingum, Candidum: *quique his quaſi facem præfert* Lucidum, *omnibuſque, quos quidem ego ex Chriſtianis habeam, antiquiorem* Euſebium? *Sed vereor, ne tibi accidat, quod mihi in turbâ vaganti evenit, ut dum omnes perſcrutarer avidè, & nullum non obſervarem, accuratam temporum veritatem profiteri: in ſumma omnium diſſenſione demùm incertior hærerem, quàm fueram pridem. Nulli quicquam detractum volo: omnium ingenium agnoſco, laborem admiror. Vnum tamen* Beroaldum *aliis tandem anteferre cœpi, ut qui tutiore, noſtræque, hoc eſt, Chriſtianæ profeſſioni convenientiore, mihi incedere videretur viâ, calculum mundi uſque ad* Christum, *non aliundè, quam ex hiſtoria ſacra conſtruens. Sic nodum de Sacræ & profanæ hiſtoriæ connexione, in quo ſolvendo,* Deus *bone, quantum hucuſque eſt laboratum & erratum, cum Sacrarum Scripturarum*

*rum honore non parvo, uno quaſi ictu diſſecuit. Nec tamen hîc etiam ſatis me expedivi prius, quàm ipſe calculo in manus ſumto ſeriem hiſtoriæ ſacræ accuratiore examine ſubducerem. Accidit id opportunè, cùm principiũ creationis rerum ex Moſe publicè explicandum mihi veniret. Sed vix rogatu Auditorum eò eram digreſſus, cùm ſtatim lethalis ille catarrhus ex recente Muſei incruſtatione hauſtus, ſuperiore, ut audiviſti, menſe Ianuario, me illicò oppreſſit, ac prope cum temporis calculo vitam mihi abripuit; ut meritò quicquid dehinc temporis ſummus ille moderator* DEUS *mihi conceſſurus eſt, in mero id lucro deputem.*

*Pertextui igitur deinceps, quod morbus abruperat: breviter verò ac nudè, ne nimis diu in* παρέργῳ *hærerem. In annis Perſicis jam pridem aliquis mihi ſcrupulus latére eſt viſus. Valdè verò gaudebam, ante aliquot annos, cùm in Prolegomenis Operis de Emendatione Temporum doctiſſimi* SCALIGERI *editi legerem, in priſca hiſtoria nihil facilius occurrere, quàm Regum Perſidis cum Danielis, Eſdræ, & Nehemiæ libris conciliationem. Putabam enim, me falſum fuiſſe, quòd, nuſquam in priſcâ hiſtoriâ tenebras majores eſſe, quàm in Perſica Monarchia, hactenùs opinatus fueram, mihi jam exemtum ſcrupulum, qui me torſerat. At cùm viderem, qualibus conciliatio niteretur hypotheſibus de Artaxerxe inhibente*

*bente ſtructuram templi Eſd. 4. 7. 24. quòd is fuerit* μακρόχιος: *de intermiſſâ ſtructurâ totos annos 107. uſque ad annum II. Darij Nothi: de longævitate Zorobabelis, Ioſuæ, & Nehemiæ: de initio & fine hebdomadum Danielis: &c. id quicquid habueram gaudij, iterùm mihi evaneſcebat. Videbam enim, non conjecturas afferri hiſtoriæ, ſed leges, partim duras, partim vix probabiles. Quis enim crediderit, opus templi ceſſaſſe demùm ſub Longimano: hoc eſt, poſt annos 86. a Cyri edicto? & quidem ceſſaſſe totos 107 annos: cùm non obſcurè colligatur ex Eſdr. 3. 4. 6. Hagg. 1. tertio ſtatim anno à jactis fundamentis ſtructuram fuiſſe inhibitam, nec multò plus annis 42. hoc eſt, uſque ad ſecundum annum Longimani? Et unde probabitur, duos illos Duces cum ſacerdote Moſen ætate ſuperaſſe? ſaltem æqualis ætas magna fuiſſet, & rariſſima. Sed vide. Si Zorobabel & Ieſua abſolverunt opus templi ſexto anno Darij Nothi: hoc eſt, poſt annos demùm 113. à Cyro: pueri ergò ſeptennes populum è Babylone reduxerunt. At vidit Nehemias tempora Alexandri Magni: quia vidit Iaddua Pontificem qui Alexandro ſupplicavit, teſte Ioſepho Antiq. lib. XI. cap. VII. VIII. Fortè non vidit, etſi Iohannem parem ejus vidiſſe innuitur Nehem. 13. 28. Neque Catalogus Pontificum, qui eſt Nehem. 12. v. 10. 11. id certò confirmat. Quid enim, ſi ab alio Duce*

*ce, vel ſacerdote, poſt Nehemiam fuerit continuatus, hiſtoriæ causâ: ut de clauſulâ Deuteronomij, & alijs nonnullis conſtat? Sed nolo huc deſcendere. Viderit ſanè. Inter finem Artaxerxis Longimani, cujus pincerna fuerat Nehemias, & Monarchiam Alexandri, ſunt anni plus minùs 90. Potuit igitur Nehemias Iaddum videre puerum: patris ſucceſſorem futurum, qui tempore Alexandri erat ſenex. Hinc adeò nihil ſequitur, niſi Monarchiam Perſicam haud paulò paucioribus annis, quam ducentis duraſſe; quod oſtendit Beroaldus. Quid multa? Cùm vix duo de his annis conſentiant, profectò id non lucem arguit hiſtoriæ, ſed tenebras: quas injuriis temporum deberi, quid mirum? Eſdræ & Nehemiæ ſatis fuit ſtatum Eccleſiæ ſub Monarchiâ Perſicâ, non verò propoſitum totam iſtius Chronologiã deſcribere; cujus tamen defectum Spiritus Sanctus in hiſtoriâ ſacrâ haud obſcurè nobis in Septimanis Danielis ſupplevit. Si quis verò conciliationem, quam Prolegomena Scaligeri pollicentur, oſtendere etiam poterit: equidem magnam is apud me privatim gratiam inibit: & publicè trophœum merebitur. Verùm de his ſatis. De Boreâ quod initio ſcripſi, credo te iſthic egregiè ſenſiſſe. Nos certè hîc jam inde à Solis in Aquarium ingreſſu uſque ad diem heſternum, qui Promotione ſex Magiſtrorum in Academiâ ſolemnis fuit, tantùm non Scythi-*

*cum*

*cum frigus inſolitò afflixit. Academiam noſtram nunc tandem reſpiraturam confido, aſſcitis ad Profeſſiones jam pridem vacantes, Theologicam tertiam* D. Bartholomæo Coppenio: *Iuridicam primariam Codicis* D. Dionyſio Gothofredo J. C. *celeberrimo: ad quam proinde te etiam dehinc redire cupio. Vale. Reverendos viros D. Bezam, & D. Fayium officioſê ex me ſalutabis. Heidelbergæ Calend. Februarij. Anno novo ineuntis ſeculi* CIↃ. IↃ. C.

TABULAE Chronologicæ IX. ad Curricula quatuor temporum, quæ ſunt rum VIII. à Creato Adamo ad fundatum Salomonis Templum, exhibent Patriarcharum natales annos, eventus, ætates, obitus, & Synchroniſmos, uſque ad Exodum.

(∴) (∴)

*Viro Reverendo, Clariſſimo, Doctiſſimo,*

# PHILIPPO PAREO DAVIDIS FILIO.

*S. P. D.*

IOHANNES CLOPPENBVRCH

*S. S. Theologiæ Doctor & Profeſſor.*

CUM hortatu etiam meo in hoc eſſent operæ noſtræ Typographicæ, ut tandem aliquando lucem aſpicerent Venerandi Patris tui poſthumæ lucubrationes Chronologicę, è triſti Academię Archi-Palatinę Heidelbergenſis naufragio per te ſuperſtites: Interpellatus ſum non ſemel, deſerendum eſſe Typothetæ vadimonium: niſi operam ego meam commodarem, ad ſublevandas, primo lectionis difficultates, ex quibus expediri non poterat ille, correctoris prælo adhibiti induſtria; & mihi enim fateor ſæpe divinandum fuit, & quandoque ex conjectura jactura verbi integri ſarcienda: nonnunquam et-

iam adnotandus in numeris, & caſtigandus calami lapſus: deinde erat ἀδύνατον in formam illam quæ in octavo complicat folium, coarctare Indicem Chronologicum ita conſcriptum ut integrum folium flagitaret: rurſum ἀδύνατον erat ipſi Quatuor tabulas Synchroniſmorum exhibere, vel typo reticulato, quo deſcriptæ erant; vel continuas ſine interciſione, propter eandem formæ libri anguſtiam: Quare ne abortirent operæ, obſtetricatione mea opus eſſe vidi: cui ut animum applicarem horis ſubſecivis, exorari me paſſus ſum; exiſtimans me in caſu extremæ neceſſitatis accerſitum, non poſſe officium hoc denegare Reipublicæ literariæ, & communibus etiam Theologorum ſtudiis: quin meæ ipſius expectationi, quî ad nobiliſſimarum, quas Chronologi tractant controverſiarum, examen, jam olim deſideravi, ut potiri liceret illa quam Pater tuus olim promiſerat Chronologia Sacra. Præſtitimus ergo quod præſtitum vides: & quidem Synchroniſmorum Tabulas, quas uno ſyſtemate præmiſimus, cum paginarum ad quas inſerendæ fuerunt indicio, ex quatuor effecimus novem: ex prima duas. A. & AA. ex ſecunda ſimiliter B. & BB. ex tertia quatuor. C. CC. CCC. CCCC. Quartam D. quæ hîc nona eſt, ſine interciſione ulla, tântum intra paginæ orbitam redegimus: & auximus columna illa

mna illa quæ exhibet annos Iudicum collectos 356. à quibus ſi demas annos Ioſuæ 17. & Eli 40 manent ducenti nonaginta novem juxta Chronologiã: indicis autem Chronologi paginas ita digeſſimus: ut poſt quinque paginarum paria, quas explent primi duo millenarii: paginas ſingulas in latitudine per inciſionem duas effecerimus, quæ inciſio ne incommodaret connexioni, neve lectorem turbaret, juſſimus, Annos Mundi ad ſingula paginarum paria bis adſcribi: in longitudine autem; non ad quinquagenas, ſed ad quadragenas ſingulas; inciſionem fecimus: Advigilavimus autem prælo, non ſine moleſta quandoque & intempeſtiva nobis, & ſtudiis aliis curſitatione, ne quid committeretur, quod operi maculam inureret, à Typothetæ illiterati oſcitantia, aut mala ἐγχειρήσει. Devoravimus, Deo laus, opere ad umbilicum deducto, moleſtiſſimos obſtetricationis iſtius labores, lubẽter tamen meritoque, grata recordatione, Venerandi nobis Patris tui, τοῦ μακαρίτου: noſtri olim Anno Æræ Chriſtianæ 1613. præceptoris, qui Diſcipulorum ſuorum in Collegio privato Reſpondentium albo nos adſcripſit: & circa autumnum ſuo teſtimonio commendatos Baſileam dimiſit. Confidimus nullius momenti fore quæ obrepſerunt ſphalmata Typographica: & non iniiſſe nos malam à R. T. gratiam: nos

quidem collocatæ operæ non pœnitet, quia publico prodeſſe voluimus, etiam in alieno labore promovendo & protrahendo in lucem; maxime ex quo non pudet etiam didiciſſe, quod doceamus. Ego quidem ita animatum me profiteor ut ſi vel maxime poſſim, inter illuſtria Scaligeri & Parei nomina Palæmon eſſe nolim; ſed diſcere geſtiam ex illorum certamine; & cognoſcere etiam aliorum quorumvis ſymbolas: atque ſic fœnerari maxime occaſionem ſcrutandi Scripturas ſacras: ne abſque neceſſitatc cumulentur Scripturæ ἄπορα & ἄλυτα ſeu Dubia & Inſolubilia. Dicam porro obſervare me, deſiderari vel maxime ad Chronologiæ Sacrę & exoticæ illuſtrationem, ut habeatur compẽdioſa inſtitutio aliqua, Calendarii perpetui forma exhibens connexionem Anni gemini Solaris puta Ægyptii & Iuliani, & tertii Lunaris Hebraici: per quam carere poſſemus prolixis Canonibus, & illorum operoſis demonſtrationibus: quæ diſcentes obruunt. Ego quidem in privatos uſus, ejuſmodi compendium affectum habeo, cujus ſola inſpectione, in quocunque anno Iuliano dato, ante aut poſt Æram Chriſti, nullus mihi elabi poteſt, in Kalendis Aprilis & ultimo Septembris dies anni Ægyptii: nec ullum in anno Hebraïco novilunium I. Tiſri; Non explet Calendarium quidem illud tria inte-

integra folia chartæ: quod cum ſua Exegeſi, non gravarer emittere; niſi jacerent ſtudia illa, & difficillimis his Reip: Literariæ temporibus Minerva cederet Marti. Deum veneror, ut brevi ἀπὸ μηχανῆς adeſſe velit afflictis per orbem Chriſtianum Eccleſiis & fatiſcentibus ubivis ſub bellorum mole regionibus & Rebus publicis: atque interim diu nobis faciat hæc otia, ut vacare liceat, ſtudiis ſanctis, quibus hoc agimus, ut plures evadant διδακτικοὶ ad Eccleſiarum ædificationem & conſolationem, Vale & Salve plurimum Vir Reverende ac Doctiſſime, Deus tuis laboribus benedicat.

*Dabam è Muſæo meo, Harderovici Gelrorum, Anno Æræ Chriſti Iuliano* 1641.

Octobris 20. Tiſri. 26. Chœac. 14.

*Tabula primi intervalli oſtendens Patriarcharum XI. natales annos, ætates, obitus & Synchroniſmos, ab orbe condito uſque ad diluvium.* Ad Paginam 33.

| Geneſeos | | | A. ANNO. Mundi & Adami. | Seth. | Enos. | Cenan. | Mahala-leel. | Iared. | Hanoch. | Methu-ſalah. | Lemech. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| cap. 1. v. 26. | I | Adam creatus. | 1 | | | | | | | | |
| c. 5. 3. | II | Seth natus. | 130 | | | | | | | | |
| c. 5. 6. | III | Enos. | 235 | 105 | | | | | | | |
| c. 5. 9. | IV | Cenan. | 325 | 195 | 90 | | | | | | |
| c. 5. 12. | V | Mahalaleel. | 395 | 265 | 160 | 70 | | | | | |
| c. 5. 15. | VI | Iered. | 460 | 330 | 225 | 135 | 65 | | | | |
| c. 5. 18. | VII | Hanoch. | 622 | 492 | 387 | 297 | 227 | 162 | | | |
| c. 5. 21. | IIX | Methuſalah. | 687 | 557 | 452 | 362 | 292 | 227 | 65 | | |
| c. 5. 25. | IX | Lemech. | 874 | 744 | 639 | 549 | 479 | 414 | 252 | 187 | |
| c. 5. 5. | | Adam obiit mortem. | 930 | 800 | 695 | 605 | 535 | 470 | 308 | 243 | 56 |
| c. 5. 23. | | Hanoch ſublatus in cœlum. | 987 | 857 | 752 | 662 | 592 | 527 | 365 | 300 | 113 |
| c. 5. 8. | | Seth obiit. | 1042 | 912 | 807 | 717 | 647 | 582 | | 355 | 168 |

| | | A. A. Mundi. | ANNO. Enos. | Cenan. | Mahalaleel. | Iered. | Methuſalah. | Lemech. | Noach. | Sem. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| c. 5. 28. | x Noah natus. | 1056 | 821 | 731 | 661 | 596 | 369 | 182 | | |
| c. 5. 11. | Enos obiit. | 1140 | 905 | 815 | 745 | 680 | 453 | 266 | 84 | |
| c. 5. 4. | Cenan obiit. | 1235 | | 910 | 840 | 775 | 548 | 361 | 179 | |
| c. 5. 17. | Mahalaleel obiit. | 1290 | | | 895 | 830 | 603 | 416 | 234 | |
| c. 5. 20. | Iered obiit. | 1422 | | | | 962 | 735 | 548 | 366 | |
| c. 6. 3. | Noah cœpit prædicare pœnitentiam. | 1536 | | | | | 849 | 662 | 480 | |
| c. 5.&11. | xI Sem natus. | 1558 | | | | | 871 | 684 | 502 | |
| c. 5. 31. | Lemech obiit. | 1651 | | | | | 964 | 777 | 595 | 93 |
| c. 5. 27. c. 6. 11. | Methuſalah obiit & venit Diluvium. | 1656 | | | | | 969 | | 600 | 98 |

*Tabula ſecundi curriculi continens Patriarcharum natales annos, ætates, obitus & ſynchroniſmos, à Diluvio uſque ad oraculum Abrahamo datum de ſervitute ſeminis ſui in AEgypto: h. e. ab anno M. 1657. uſque ad ann. 2093.* Ad Paginam. 42.

B. ANNO.

| Geneſeos | | | | Mundi. | Diluvii. | Noachi. | Sem. | Arphachſad. | Selah. | Eber. | Peleg. | Reu. | Serug. | Nachor. | Haran. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| c. | 11. | 10. | Arphachſad naſcitur. | 1658 | 2 | 602 | 100 | | | | | | | | |
| c. | 11. | 12. | Selah naſcitur. | 1693 | 37 | 637 | 135 | 35 | | | | | | | |
| c. | 11. | 14. | Eber naſcitur. | 1723 | 67 | 667 | 165 | 65 | 30 | | | | | | |
| c. | 11. | 16. | Peleg naſcitur: fitque confuſio linguarum & diſperſio populorum in Babel. | 1757 | 101 | 701 | 199 | 99 | 64 | 34 | | | | | |
| c. | 11. | 18. | Reu naſcitur. | 1787 | 131 | 731 | 229 | 129 | 94 | 64 | 30 | | | | |
| c. | 11. | 20. | Serug naſcitur. | 1819 | 163 | 763 | 261 | 161 | 126 | 96 | 62 | 32 | | | |
| c. | 11. | 22. | Nachor naſcitur. | 1849 | 193 | 793 | 291 | 191 | 156 | 126 | 92 | 62 | 30 | | |
| c. | 11. | 24. | Therah naſcitur. | 1878 | 222 | 822 | 320 | 220 | 185 | 155 | 121 | 91 | 59 | 29 | |
| | | | Haran primogenitus Therah naſcitur. | 1948 | 292 | 892 | 390 | 290 | 255 | 225 | 191 | 161 | 129 | 99 | 70 |
| | | | Peleg moritur. | 1996 | 340 | 940 | 438 | 338 | 303 | 273 | 239 | 209 | 177 | 147 | 118 |
| | | | Nachor moritur. | 1997 | 341 | 941 | 439 | 339 | 304 | 274 | 240 | 210 | 178 | 148 | 119 |
| c. | 9. | 29. | NOAH moritur. | 2006 | 350 | 950 | 448 | 348 | 313 | 283 | | 219 | 187 | 157 | 128 |

| | B. B. | ANNO. | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | Mundi. | Diluvii. | Sem. | Arphacſad. | Selah. | Eber: | Reu. | Serug. | Nachor. | Therah. | Abrahami. |
| c.11.26. | Abraham naſcitur. | 2008 | 352 | 450 | 350 | 315 | 285 | 221 | 189 | 159 | 130 | |
| c.11.29. | Sarah al: Iiſcha naſcitur. | 2018 | 362 | 460 | 360 | 325 | 295 | 231 | 199 | 169 | 140 | 10 |
| | Reu moritur. | 2026 | 370 | 468 | 368 | 333 | 303 | 239 | 207 | 177 | 148 | 18 |
| | Serug moritur. | 2049 | 393 | 591 | 391 | 356 | 326 | 261 | 230 | 200 | 171 | 41 |
| c.11.32. | Terah moritur: Abraham | 2083 | 427 | 625 | 425 | 390 | 360 | | | | 205 | 75 |
| c.12. 4. | egreditur ex Haran. | | | | | | | | | | | |
| c.15.13. | Abraham accipit oraculum de ſervirtute ſeminis: | 2093 | 437 | 635 | 435 | 400 | 370 | | | | | 85 |
| c.16. 3. | Ducit Agar uxorem. | | | | | | | | | | | |

*Tabula curriculi tertii continens patriarcharum poſteriorum natales annos, eventus, ætates, obitus & ſynchroniſmos: ab oraculo ſervitutis Abrahæ dato uſque ad Exodum h e, ab anno M. 2094. uſque ad annum 2523.*

[ Ad paginam 51. ]

## C. ANNO.

| Geneſ. | | Mundi. | Diluvii. | Sem. | Arphachſad. | Selah. | Eber. | Abraham. | Servitutis. | Iſmael. | Circumciſionis. | Iſaack. | Rebecça. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| c.16.3. | Iſmael naſcitur. | 2094 | 438 | 536 | 436 | 401 | 371 | 86 | 1 | | | | |
| c.11.13. | Arphachſad moritur. | 2096 | 440 | 538 | 438 | 403 | 373 | 88 | 3 | 2 | | | |
| c.17.24. | Circuncisio datur. Sodoma evertitur. Gen 19. | 2107 | 451 | 549 | | 414 | 384 | 99 | 14 | 13 | | | |
| c.21.5. | Iſaac naſcitur: Item Moab & Ammon ex inceſtu Lothi. | 2108 | 452 | 550 | | 415 | 385 | 100 | 15 | 14 | 1 | | |
| c.21.24. | Iſmaël cum Agar matre ejicitur. *Eucherius*. | 2113 | 457 | 555 | | 420 | 390 | 105 | 20 | 19 | 6 | 5 | |
| c.11.15. | Selah moritur. | 2126 | 470 | 568 | | 433 | 403 | 118 | 33 | 32 | 19 | 18 | |
| | Rebecca naſcitur *juxta Hebræos*. | 2127 | 471 | 569 | | | 404 | 119 | 34 | 33 | 20 | 19 | |
| c.22. | Iſaack jubetur Deo offerri: *Ioſephus*. | 2133 | 477 | 575 | | | 410 | 125 | 40 | 39 | 26 | 25 | 6 |
| c.23.1. | Sara moritur anno æt. 127. | 2145 | 489 | 587 | | | 422 | 137 | 52 | 51 | 38 | 37 | 18 |
| c.25.20. | Iſaack ducit Rebeccam. | 2148 | 492 | 590 | | | 425 | 140 | 55 | 54 | 41 | 40 | 21 |
| c.11.11. | Sem moritur. | 2158 | 502 | 600 | | | 435 | 150 | 65 | 64 | 51 | 50 | 31 |

# CC. ANNO.

| Geneſ. | | Mundi. | Diluvii. | Eber. | Abraham. | Servitutis. | Iſrael. | Circumciſionis. | Iſaaci. | Rebeccæ. | Iacobi | Rachel. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| c.25.26. | Iacob & Eſau naſcuntur. | 2168 | 512 | 445 | 160 75 | 74 | | 61 | 60 | 41 | | |
| c.25.7. | Abraham moritur. | 2183 | 527 | 460 | 175 | 90 | 89 | 78 | 75 | 56 | 15 | |
| c.11.17. | Eber moritur. | 2187 | 531 | 464 | | 94 | 93 | 80 | 79 | 60 | 19 | |
| c.26. | Iſaack cum Rebecca famis cauſa pergit in Gerar. | 2207 | 551 | | 114 | 123 | | 100 | 99 | 80 | 39 | |
| c.26.34. | Eſau ducit uxores Cananæas, | 2208 | 552 | | | 115 | 114 | 101 | 100 | 81 | 40 | |
| | Rahel dilecta uxor Iacobi naſcitur *juxta Hebræos.* | 2230 | 574 | | | 137 | 136 | 123 | 122 | 103 | 62 | |
| c.25.17. | Iſmaël moritur. | 2231 | 575 | | 138 | 137 | | 124 | 123 | 104 | 63 | 1 |
| | Iſaac ſenio cæcutiens benedicit Iacobo. | 2244 | 588 | | | 151 | | 137 | 136 | 117 | 76 | 14 |
| c.27. c. 28. | Iacob fugit ad Laban. Eſau ducit Iſmaëliticas. | 2245 | 589 | | | 152 | | 138 | 137 | 118 | 77 | 15 |
| c. 29. | Iacob ducit uxores Leah & Rachel. | 2252 | 596 | | | 159 | | 145 | 144 | 125 | 84 | 22 |
| c.29.34. | Levi naſcitur ex Leah. | 2254 | 598 | | | 161 | | 147 | 146 | 127 | 86 | 24 |

# CCC ANNO.

| Geneſeos. | | Mun-di. | Dilu-vii. | Servi-tutis. | Circumci-ſionis. | Iſaa-ci, | Rebec-cæ, | Iacobi & Eſau. | Ra-chel. | Levi. | Iuda. | Io-ſeph. | Benja-min |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| c.29.35. | Iudah naſcltur ex Leah. | 2255 | 599 | 162 | 148 | 147 | 128 | 87 | 25 | 1 | | | |
| c.30,24. | Ioſeph naſcitur ex Rahel Dina & Leah. | 2259 | 603 | 166 | 152 | 151 | 132 | 91 | 29 | 5 | 4 | | |
| | Rebecca moritur: *juxta Hebræos.* | 2264 | 608 | 171 | 157 | 156 | 137 | 96 | 34 | 10 | 9 | 6 | |
| c.31.32. | Jacob diſcedit à Laban. Luctatur cum Deo. | 2266 | 610 | 173 | 159 | 153 | | 98 | 36 | 12 | 11 | 8 | |
| c. 38. | Juda ducit Cananæam. | 2268 | 612 | 175 | 161 | 160 | | 100 | 38 | 14 | 13 | 10 | |
| c. 34. | Dina rapitur à Sechemo. | 2273 | 617 | 180 | 166 | 165 | | 105 | 43 | 19 | 18 | 15 | |
| c. 35. | Benjamin naſcitur. Rahel moritur. | 2274 | 618 | 181 | 167 | 166 | | 106 | 44 | 20 | 19 | 16 | |
| c. 37. | Ioſeph venditur à fratrib. | 2275 | 619 | 182 | 168 | 167 | | 107 | | 21 | 20 | 17 | 1 |
| c. 38. | Inceſtus Iudę cũ Thamar. | 2283 | 627 | 190 | 176 | 175 | | 115 | | 29 | 28 | 25 | 9 |
| c.41.35. | Ioſeph exaltatur. Iſaac moritur. | 2288 | 632 | 195 | 181 | 180 | | 120 | | 34 | 33 | 30 | 14 |
| Ex.6.18. | Cahath avus Moſis na- (ſcitur. | 2294 | 638 | 201 | 187 | | | 126 | | 40 | 39 | 36 | 20 |

# CCCC. ANNO.

# CCCC. ANNO.

| Geneſeos. | | Mundi. | Diluvii. | Servitutis. | Circumciſionis. | Iacobi. | Levi. | Iuda. | Ioſeph. | Benjamin | Cahath. | Amram. | Moſis. | Ioſuæ. | Caleb. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Gen. 46. | Iacob deſcendit in Ægyptnm. | 2298 | 642 | 205 | 191 | 130 | 44 | 43 | 40 | 24 | 4 | | | | |
| Gen. 47. | Iacob moritur. | 2315 | 659 | 222 | 208 | 147 | 61 | 60 | 57 | 41 | 21 | | | | |
| Gen. 50. | Ioſeph moritur. | 2368 | 712 | 275 | 261 | | 114 | 113 | 110 | 94 | 74 | | | | |
| Exod. 6. | Amram pater Moſis naſcitur. | 2373 | 717 | 280 | 266 | | 119 | 118 | | 99 | 79 | | | | |
| Ex. 6. 20. | Levi moritur. | 2391 | 735 | 298 | 284 | | 137 | | | | 97 | 18 | | | |
| Ex. 6. 18. | Cahath moritur. | 2427 | 771 | 334 | 320 | | | | | | 133 | 54 | | | |
| Ex. 2. 2. | Moſis naſcitur. | 2443 | 787 | 350 | 336 | | | | | | | 70 | | | |
| Ex 24. 29. | Ioſua naſcitur. | 2470 | 814 | 377 | 363 | | | | | | | 97 | 27 | | |
| Act. 7. 23. | Moſes viſitat fratres. | 2483 | 827 | 390 | 376 | | | | | | | 110 | 40 | 13 | |
| Num. 13. 7. | Caleb naſcitur. | 2485 | 829 | 392 | 378 | | | | | | | 112 | 42 | 15 | |
| Ex. 6. 20. | Amram pater Moſis moritur. | 3510 | 854 | 417 | 403 | | | | | | | 137 | 67 | 40 | 23 |
| Ex. 12. 37. | Exodus Iſraelitarum. | 3524 | 868 | 431 | 417 | | | | | | | | 81 | 54 | 39 |

*Tabula Curriculi quarti repræſentans ſingulos ejus articulos inde ab Exodo per tempora iudicum uſque ad fundatum Salomonis Templum. h.e. ab anno M. 2524. uſque ad ann. 3003.*

[Ad paginam 56.]

## D. ANNO.

| | | Mundi. | Exodi. | Moſis. | Ioſuæ. | Iudicum. | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Exod, 12. & 19.1. | Exodus Iſraëlitarum & Lex in Sinai lata. | 2524 | 1 | 81 | 54 | | |
| Ex.40.17. | Tabernaculum in deſerto erectum menſe primo. | 2525 | 2 | 82 | 55 | | |
| Num. 33. Deut. 34.7. | Aaron & Moſes moriuntur in deſerto. | 2563 | 40 | 120 | 93 | | |
| Joſ.24.29. | Ioſua gubernat populum poſt Moſen & moritur. | 2580 | 57 | | 110 | 17 | 17 |
| Iud. 3.11. | Othoniel I. Iudex moritur. | 2620 | 97 | | | 57 | 40 |
| Iud. 3. 3. | Ehud & Samgar Iudices II. | 2700 | 177 | | | 137 | 80 |
| Iud. 5. | Barac. & Debora III. | 2740 | 217 | | | 177 | 40 |
| Iud. 8. | Gideon Iudex IV. moritur. | 2780 | 257 | | | 217 | 40 |
| Iud. 9. | Abimelech Iudex V. moritur. | 2783 | 260 | | | 220 | 3 |
| Iud. 10. | Thola Iudex VI. moritur. | 2806 | 283 | | | 243 | 23 |
| Iud. 10. | Iare Iudex VII. moritur. | 2828 | 305 | | | 265 | 22 |
| Iud. 12. | Iephthe Iudex VIII. moritur. | 2834 | 311 | | | 271 | 6 |
| Iud. 12. | Abeſa Iudex IX. moritur. | 2841 | 318 | | | 278 | 7 |
| Iud. 12. | Elon Iudex X. moritur. | 2851 | 328 | | | 288 | 10 |
| Iud. 12. | Abdon Iudex XI. moritur. | 2859 | 336 | | | 296 | 8 |
| Iud. 15. | Simſon Iudex XII. moritur. | 2879 | 356 | | | 316 | 20 |
| I. Sam. 4. | Heli Pontifex & Iudex XIII. moritur. | 2919 | 396 | | | 356 | 40 |
| Act. 13. 21. | Samuel & Saul regnant. | 2959 | 436 | | | | 40 |
| I. Reg. 2.10. | David regnat & moritur. | 2999 | 476 | | | | 40 |
| I Reg. 6. I. | Salomon ædificat Tēplum. | 3003 | 480 | | | | 4 |

# D. DAVIDIS PAREI CHRONOLOGIÆ SACRÆ

## LIBER PRIMUS.

Quo variæ viæ contexendi hiſtoriam ſacram cum profanâ explicantur & conſiderantur.

---

## CAPUT I.

*Quæſtionis de mundi principio utilitas & difficultas oſtenditur.*

QVANDO fuerit illud mundi principium, de quo ſcribit Moſes: *In principio creavit Deus cœlum & terram*; quantumq; annorum inde hucuſq; effluxerit; non ocioſa nec curioſa vel impoſſibilis, ſed nec parum difficilis eſt quęſtio. Ocioſa videri non debet: quoniam vehementer eſt utilis, non ſolùm ad percipiendum illud à Moſe notatum principium de quo omnes quærimus: ſed & ad rectius intelligendam univerſam hiſtoriam ſacram: ad fortius refellendas philoſophorum & poëtarum opiniones ac ſomnia, de motus, mobilium & mundi æternitate, deque gentium fabuloſâ antiquitate, de qua Critias Platonis, Iuſtinus, Mela, Diodorus aliique fabulantur: ad agnoſcendam & celebrandam potentiam, bonitatem & providentiam Dei, qui inter tam diuturnos diabolorum

*Geneſ. 1. 1.*

*Inveſtigatio Chronologiæ difficilis.*

*Sed utilis & neceſſaria.*

diabolorum & hominum furores Eccleſiam ſuam, & propter hanc etiam mundum tamdiu ſervavit: ad confirmandam fidem cœleſtis æternitatis, cujus reſpectu tot millia annorum elapſa vix dies unus ſunt, juxta Pſalmi 90 dictum ad confirmandam & illuſtrandam veritatem ac dignitatem ſacræ ſcripturæ contra prophanos Scriptores, qui ab antiquitate hiſtoriæ ſacræ multum deficiunt & de mundi & rerum & hominum ortu, de diluvio, de primis imperiis aliiſq; rebus antiquioribus, magna ex parte pro hiſtoriis meras fabulas Mundo tradiderunt: denique ad eoſdem etiam profanos hiſtoricos multis modis illuſtrandos & reſtituendos.

*Non eſt curioſa.* Neque verò curioſa cenſeri poteſt, tum quia per ſe dignum eſt homine, præſertim literato, maximè Theologo, opificij hujus mundi natales, & durationem cognoſcere, ut ejus intellectâ ſenectute, de DEI providentiâ, deq; inſtante Mundi decrepiti ruina & interitu magis cogitemus; tum quia ipſe Spiritus Sanctus veſtigia in ſcripturâ nõ omninò obſcura aut dubia nobis relinquit, quibus ad inveſtigationem primordij rerum excitaremur, & ad ejuſdem cognitionem quaſi manu perduceremur; ut deinceps oſtendetur. Quin immò ipſe Spiritus ſanctus hanc diligentiam non ſemel nobis præcepit, paſſim nos ad inveſtiganda ea, quæ ante nos geſta fuerunt, cohortatus. *Recordamini*, inquit *priorum, quæ à ſæculo contigerunt: quoniam ego DEVS, & non eſt ultrà DEVS neque eſt, ſicut ego: annuncians ab exordio noviſſimum: & ab initio ea, quæ nondum facta ſunt:* Et: *Interroga ætatem priorem & præpara te inquiſitioni Patrum eorum: &c.* (*Eſa.* 46. 9. — *Iob.* 8. 8.)

*Non eſt impoſsibilis.* Proinde nec impoſſibilis haberi debet hæc inveſtigatio: alioqui Spiritus ſanctus eam non adeò præcepiſſet: quò & illud coeci pertinet apud Iohannem: *A ſæculo non eſt auditum, aliquem aperuiſſe oculos ejus, qui cæcus natus fuerit.* (*Ioh* 9. 32.) Quòd verò ſiracidæ cap. 1. 2. dicitur: *Arenam maris & guttas pluviæ, aut dies ſæculi, quis enumeret?* de diebus ſæculi, non à principio elapſis, ſed ad finem uſque dehinc futuris eſt intelligendum: qui ſanè imperveſtigabiles ſunt computo humano. De die enim & horâ finis ſæculi, & adventu Domini, nemo ſcit; ne

*Angeli*

*Angeli quidem niſi Pater ille meus ſolus :* ait Dominus Matth. 24. 36. Quare huic ſtudio non adverſatur.

Difficilis porrò & intricata ſi eſt quæſtio de re ab hominum memoria & ſenſu omnium remotiſſima, quid mirum ? cum ſæpè rerum nuper geſtarum tempora & momenta à nobis vel ignorentur, vel admodum diſſimiliter ſciantur ?

Obſcuritatis & hæc aliqua cauſa eſt, quod libri Chronici non pauci, quos olim habebat populus Dei, in templi everſionibus, & eccleſiæ exiliis perierunt. Qui verò ſervati ſunt, ita nobis facem in hac inveſtigatione præferunt, ut maxima interim attentione ſit opus.

Auxit difficultatem non parum humani ingenij curioſa licentia, quæ rem intricatam reddit intricatiorem, dum quiſque ſuâ quadam fretus ἀγχινόςα vel ἀγχαςμῷ de mundi annis pronunciare eſt auſus: pleriq; etiam Chronologiam ſacram ex corruptis Græcorum codicibus petentes, vel ex fabuloſis profanorum ſcriptorum factis contexere aut explere hiatus, quos fingunt, tentantes, non lucem tenebris intulerunt, ſed tenebras luci offuderunt: & ſic non parum authoritati ac perfectioni hiſtoriæ ſacræ derogarunt. Vnde & factum, ut ferè quot capita, tot nunc extent de mundi ætate ſententiæ.

Neque verò, dum hoc dico, laboribus vel laudibus Chronologorum veterum, aut recentium detractum volo, ſed eos perſtringo, qui cum ſoli ſibi in hoc genere artifices eſſe, & rem acu tangere videantur, aliorum doctiorum ante & poſt ſe ſtudiis detrahunt, & placita ſua quaſi leges è tribunali haberi volunt.

Nec ego me profiteor artificem aut Chronologum, ſed Theologum, ſacræ hiſtoriæ ſtudioſum indagatorē. Proinde neque ſubtiliter aut prolixè agam de annorum ratione, diverſitate, qualitate, aut quæ plæroſque hactenus inutiliter torſit, de annorum ſacrorum & profanorum ſcrupuloſa connexione: ſed ſtudioſis Theologiæ ad integram & certam mundi χρονολογίαν inde à Moſis principio, uſque ad Chriſtum Servatorem, ex ſolâ hiſtoriâ ſacrâ inveſtigandam, digitos, niſi fallor, propiùs intendam. Hæc itaq: ſumma eſto, Chronologiæ ſeriem ab orbe condito uſque ad Chriſtum integram à Deo in

Scripturis ſacris Eccleſiæ traditam & relictam eſſe: Interpolationem verò ejus ex profanis authoribus nihil niſi confuſionem afferre.

## Caput II.

### *Variæ de quæſtione propoſita Chronologorum ſententiæ.*

QVæritur ergo, quomodo ſciri, & unde inveſtigari poſſint anni adhuc à mundi principio elapſi, ſeu, quot annis ante nos abhinc olim fuerit illud principium de quo loquitur primus hiſtoriæ ſacræ aphoriſmus: *In principio creavit Deus cœlum & terram.*

Ad hujus inveſtigationem primùm dividamus annos in eos, qui poſt Chriſtum, & eos, qui ante Chriſtum, in carne exhibitum decurrerunt. Annos poſt Chriſtum exhibitum vocamus annos Chriſti, ſeu à nativitate Chriſti, à qua uſitate jam numerantur anni 1599. licet revera nunc currat annus 1600. Nam Chriſtus natus eſt anno Iuliano 45 exeunte, circa ſolſtitium brumale: Eccleſia verò Chriſtiana annos Chriſti exorſa eſt ſeptiduo poſt ſolſtitium ab ejus circumciſione Calendis Ianuarii anni Iuliani ineuntis 46: ne propter intervallum paucorum dierum æram à Iuliana diverſam inſtituere cogeretur: id quod Romani Chriſtianis tunc minimè permiſſuri videbantur. De his igitur annis cum ex faſtis Impp. Romanorum ſatis conſtet, nullum inter Chronologos dubitandi eſt argumentum: & certa ſeries per imperatorum vitas ad hæc tempora ab omnibus tenetur.

*Anni mundi.* Annos à principio ad Chriſtum vocamus *annos mundi*, qui cum annis Chriſti connectendi ſunt, ut integra fiat mundi Chronologia. De his annis ante Chriſtum gravis eſt quæſtio. Diverſas enim horum annorum ſupputationes Lucas Gauricius numerat quatuordecim eorum qui videri volunt Hebraicam ſequi veritatem. Vndecim verò eorum, qui Græcam interpretationem LXX ſequuntur. Bibliander in ſua Chronologia quadraginta recenſet, quarum maxima eſt 6984, minima 3508 an.

Verùm

Verùm ut illa plus ter mille annis excedit, ita hæc amplius quadringentis annis deficit. Diligentiſſimi enim noſtri ſeculi Theologi & Chronologi Lutherus, Melanchthon, Reinholdus, Funccius, Mercator, Beroaldus, Chytræus, Bibliander, Bucholzerus, Candidus &c. omnes conſentiunt, Chriſtum in carne exhibitum eſſe quarto mundi millenario nondum penitus completo: ſed exactis inde à principio 3900, & aliquot inſuper annis. In duobus igitur numeris majoribus conveniunt: quod eſt annotandum: in minore numero diſſident prope omnes. Nam ſupra 3900 annos à principio ad natalem Chriſti

| | |
|---|---|
| Carion numerat annos — — | 44 |
| Lutherus, & Lucidus — — | 60 |
| Picus Mirandulanus, Vrſpergenſis, Melanchton, Reinholdus, Chytræus: —— | 62 |
| Funccius —— —— | 63 |
| Mercator — —— | 65 |
| Bucholzerus Gualtherus —— | 70 |
| Bullingerus —— —— | 69 |
| Bibliander —— —— | 79 |
| Scaliger —— —— | 48 |
| Beroaldus —— —— | 28 |
| Ribera Apoc.20 11.38 —— —— | 37 |
| Codemannus —— | 4147 |
| Buntingius —— | 7 |
| Calviſius — —— | 47 |

Æram Chriſti incipit demum triennio
poſt anno 3950.

Cauſas omnes tantæ diverſitatis longum foret oſtendere. Vna & præcipua hæc videtur eſſe, quòd omnes propè Chronologi, uno excepto Beroaldo, hoc quaſi commune principium ſibi ſumunt, Chronologiam ſacram poſt ſolutam captivitatem Babylonicam in monarchia Perſica deficere, & ideò hiſtoriâ ſacrâ non contenti, Chronologiam ſacram ex profanorum authorum libris pertextendam eſſe ſtatuunt, ac pertexere diſſimiliter annituntur: unde in exacta connexione annorum ſacro-

rum cum annis profanis invenienda, Deus bone, quam anxiè & variè deſudant, & nullo tamen cum profectu: id quod tot diſcrepantes & irreconciliabiles propè omnium ſententiæ ſatis oſtendunt. Quod cum viderit etiam D. CHRISTMANNVS noſter ſuo in Alfraganum commentario, accuratiſſimè quidem annos Olympiadicos, urbis conditæ, Nabonaſſari, Iulianos; & Chriſti, contexuit: ſed ſupra Olympiadas ex profanis authoribus, aut etiam ex Mathematicis obſervationibus ſolidi nihil proferre habuit, quod ad certum Olympiadum nexum cum Chronologia ſacra facere videretur.

Neque verò id ipſum profani ſcriptores omninò diſſimularunt. Varro enim referente Cenſorino cap. 21. tria temporum diſcrimina tradidit:

*Tria temporũ inter valla ex Varrone.*

PRIMVM ab hominum principio ad cataclyſmum priorem ſive Ogygium Ogygem autẽ Beroſus lib. 2. opinatur fuiſſe Noah, cognomento Ianum Ogygem. Iulius verò Africanus apud Euſebium de præpar. Euan. lib. 10. cap. 3. Ogygem facit Moſi σύγχρονον alii Iacobo Patriarchæ, alii aliter. Hoc temporis intervallum quot ſit annorum, ait Varro comprehendi non poſſe: ideo vocat ἄδηλον, *incertum*, quod tamen nobis ex hiſtoria ſacra minime eſt ἄδηλον.

ALTERVM, à cataclyſmo ad Olympiadem primam. Hoc vocat μυθικὸν *fabuloſum*. Et quanquam nonnulli ſcriptores id etiam annis definire tentaverint, alii pluribus, alii paucioribus (colligit autem ſummam circiter 2400 annorum) tamen inquit, *ipſa diſſenſio incertam eſſe declarat*.

*Euſeb. lib. 10 cap. 3. de præparat. Euang.*

TERTIVM à prima Olympiade ad ſua tempora, quod vocat *hiſtoricum:* quoniam id demum veras continet hiſtorias. Ita & Africanus, citante Euſebio ibidem: *Vſque ad Olympiadas* (inquit) *nihil exploratum in hiſtoria Græcorum invenitur: ſed omnia confuſis conſcripta temporibus ſunt. Poſt Olympiadas verò quoniam quadriennio diligentiſſimè notabantur, nulla penitus confuſio temporum fit.* Id verum eſt de temporum menſura, quæ ab Olympiadum initio certa fuit, non autem perinde de rerum geſtarum ad eam menſuram applicatione, in qua authores multum ubique variare deprehenduntur. Sed nunc

de

de varia contexendæ hiſtoriæ ſacræ & profanæ ratione videamus.

# Caput III.

## *Quinque modi contexendi hiſtoriam ſacram cum profana referuntur.*

QVinque omninò modos invenio, quibus hiſtoria profana cum ſacra contexi poſſe putatur.

Annos enim ab orbe condito ex hiſtoria ſacra texunt *alii* uſq; ad captam Trojam: *Alii* uſque ad principium Olympiadum: *Alii* uſque ad primum annum urbis conditæ: *Alii* uſque ad primum annum Nabonaſſari, quem dicunt eſſe Salmanaſſarem regni Iſraëlitici deſtructorem: vel uſque ad quartum annum Iojakim, qui incidit in primum annum Nebucadnezaris, regni Iudaici everſorem, quem volunt eſſe Nabopolaſſarum Ptolemæi. *Ierem. 25, 1.* *Alii* denique uſque ad primum annum Cyri Perſarum regis. Reliquam verò annorum ſeriem uſque ad Chriſtum, pertexunt ex hiſtoria profana, deſcendendo vel ab excidio Trojæ, uſque ad initium Olympiadum, & deinceps: vel per annos Olympiadicos: vel per annos Vrbis conditæ, & Coſs. Romanorum: vel per annos Nabonaſſari: vel per tempora regum Perſicorum & Græcorum uſque ad imperium Auguſti, & ad Chriſtum natum.

Et ſanè in omnibus hiſce calculis plurimum reperitur induſtriæ & ingenii, nec probabilitatis parum: ſed in nulla certitudinis ſatis. Nam præterquam quòd in ſingulis, maximè autem in ea, quæ fit per annos Perſarum, de certis temporum intervallis ac numeris inter hiſtoricos & Aſtronomos convenire nondum potuit: omnes inſuper hoc communi defectu laborant, quòd verum connexionis annum ignorant.

# CAPUT IV.

## *Prima ratio continuationis per annos captæ Trojæ incerta eſſe oſtenditur.*

Euſeb. de præpar. Euang. lib. 10. cap. 3.

EVſebius inter Chriſtianos Græcos Chronologorum facilè princeps, à nato Abrahamo uſq; ad Moſen numerat annos quingentos quinq;. A nato Moſe ad excidiũ Trojæ annos præciſè quadringentos: idq, excidium connectit cum anno tertio Labdonis ſive Abdonis Iudicis Hebræorum. Inde deſcendendo ad Olympiadas annos quadringentos quinquaginta: ſi tamen numeri ſunt incolumes. Verba ejus ſunt: *Prima olympias Ieſaiæ temporibus fuiſſe invenitur. Inde autem à prima olympiade usque ad captivitatem Trojæ, ut Græcorum ipſorum hiſtoriæ ſignificant, quadringenti ac quinquaginta anni colliguntur: quem annorum numerum à quinquageſimo Oziæ anno ſimiliter auferendo ad tertium annum Labdonis Iudæorum judicis pervenies.* Hæc ibi. Si hodiè intervallum inter excidium Ilij ad initium Olympiadum requiras, vix quiſquam cum iſta Euſebii annotatione conſentit. Nec diſſimulat Scaliger, veterum ſententias fuiſſe varias περὶ ἰλίου ἁλώσεως: & alteras quidem ab alteris plus quàm centum annis differre. Dionyſius Halicarnaſſeus ante primam olympiadem caſum Trojæ ponit annis 408: Diodorus Siculus annis 407: Funccius & Bibliander annis 406: quorum ille connectit cum Abdonis Iudicis Hebræorum anno primo: mundi 2783. hic cum anno Samſonis 12. mundi 2797. Mercator annis 409: connectens cum anno Abdonis tertio: Pererius cum principio judicis Heli. Scaliger tamen ex Ephoro vetuſtiſſimo ſcriptore, beneficio computi annalis Atticorum intervallum illud Ilii deleti & primæ Olympiadis annis quadringentis quinque indubitanter definiri poſſe exiſtimat. Quod quidem ad hanc connexionis viam aſtruendam haud parum momenti afferret, ſi modo & computo Attico indubitata conſtaret authoritas & ipſum Olympiadum initium ſatis fixum eſſet, de quo paulò poſt.

Scal. de em. temp. lib. 5.

Verum

Verum, quod pace omnium dixerim, miretur quis non immeritò, Chriſtianos ſcriptores in eo temporum intervallo Chronologicam veritatem & ἀκρίβειαν extra ſcripturas quærere, quod μυθικὸν *fabuloſum* ab ipſismet ſcriptoribus profanis, Varrone & Cenſorino nuncupatum conſtat, & quo, Africano fatente, omnia confuſis conſcripta temporibus ſunt. Ac rei obſcuritatem varietas ſententiarum nimis oſtendit. Neque Dionyſij aut Diodori authoritas planè ἀναμφισβήτητον reddit hunc calculum, cum iſte quidem de fabuloſis antiquorum geſtis ſe ſcribere apertè fateatur: uterque verò non multum ante Chriſti tempora hiſtorias ante ſe geſtas, aut etiam nunquam geſtas, ſed fictas aliunde congeſſerint Vt taceam, non deeſſe graviſſimos authores, quibus merum videtur commentum quicquid poëtæ de raptu Helenæ, de Trojano decennali bello, de Vlyſſis erroribus & id genus aliis fabulantur, de quibus ipſe etiam Ovidius l. 1. Eleg. 4. Triſt: *Lib. 1. de fab. antiq. geſtis. Diodorus anno M. 3920. 1. ante Chr. a. 8 Dionyſius a. M. 3043. 1. a. c. 12.*

*Adde quod illius pars maxima ficta laborum:*
*Ponitur in noſtris fabula nulla malis.*

Id vero ego nunc in medio relinquo quia, ad rem præſentem parum aut nihil facit.

## Caput V.

### *Altera ratio continuationis per annos Iphiti ſeu Olympiadum diſcutitur.*

IN Olympiadibus, quarum ludos primum Hercules inſtituiſſe, poſtea Iphitus Praxonides inſtauraſſe perhibetur: certior eſſet temporum & annorum menſura, ſi de vero earum nexu cum hiſtoria ſacra conſtaret, hoc eſt, ſi oſtendi poſſet, cum quo anno mundi in ſacra hiſtoria definito, ſeu cum quo anno; cujus regis Iudæ, primus annus primæ Olympiadis cohæreret. Nam in tempora Regem Iudæ principium Olympiadum incidere conſentaneum eſt. Erat autem *Olympias* ſpacium quatuor annorum abſolutorum, ita ut quinto quoque *Olympias.*

anno ineunte Olympias abſoluta diceretur, quam Romani poſtea à quinquennali cenſu & luſtratione *luſtrum* vocaverunt. Nomen accepit à ludis quinquennalibus Olympicis ad Olympiam Elidis urbem celebrari ſolitis plenilunio ejus menſis qui proxime incipiebat ſecundum ſolſtitium æſtivum, à quo Græci annum ordiebantur. De principio vero Olympiadum, ſive annorum Iphiti (ut vocantur ab authore) cum ex vetuſtioribus authoribus nihil certi conſtet, Chronologi omnem calculi ſui rationem propè ex unico Cenſorini loco deducunt, qui libro de natali die cap. 21. ait, annum, quo ſcribebat, fuiſſe ab Olympiade prima 1014: à primo anno Iuliano 283. Quoniam verò ejus loci deinceps quoque facienda erit mentio, hic aſſcribam integrum: *De tertio, inquit, tempore Varro eruit verum lucemque oſtendit, per quam numerus certus non annorum modo, ſed & dierum perſpici poßit: ſecundum quam rationem, niſi fallor, hic annus, cujus velut index & titulus quidam eſt, Vlpij & Pontiani conſulatus, ab Olympiade prima milleſimus eſt & quartus decimus, ex diebus duntaxat æſtivis, quibus Agon Olympicus nonageſimus celebratur: A Roma autem condita nongenteſimus, nonagenſimus primus: & quidem ex Parilibus unde urbis anni numerantur: Eorum verò annorum, quibus Julianis nomen eſt, ducenteſimus, octogenſimus tertius: ſed ex die Kal. Ian: unde Iulius Cæſar anni à ſe conſtituti fecit principium. At eorum, qui vocantur anni Auguſtorum ducenteſimus, ſexagenſimus quintus, perinde ex Kal. Ian. quamvis ex ante diem decimum ſextum Kal. Februarij Imperator Cæſar divi filius ſententia L. Munatij Planci à ſenatu cæteriſque civibus Auguſtus appellatus eſt, ſe ſeptimum, & M. Vipſanio Agrippe III. Coſſ. Sed AEgyptij, quod biennio ante in poteſtatem ditionemque Pop. Rom. venerunt, habent hunc Auguſtorum annum ducenteſimum ſexagenſimum ſeptimum. Nam ut à noſtris, ita ab AEgyptiis quidam anni in literas relati ſunt, ut quos Nabonnazaris nominant, quod à primo imperij ejus anno conſurgunt: quorum hic nongenteſimus, octogenſimus ſextus eſt: item Philippi, qui ab exceſſu Alexandri magni numeratur, & ad hunc uſque perducti, annos quingentos, ſexaginta duos conſummant.* Hactenus Cenſorinus.

*Cenſorini locus de annis Iphiti.*

*Chr. Genebrardi p. 347. Olympiades uſque ad 10. & Ecalci Herodorique ſerviũ certis hiſtoriis carenus è denſis tenebris non poſſunt explicari.*

Ex quo Cenſorini loco, quantum ad præſens inſtitutum, cum conſtet Chriſtum Dominum noſtrum natum eſſe anno Iuliano exeunte 45: tria hæc τεκμήρια admodum notabilia exſtruuntur.

*Primo* colligitur Cenſorinum ſcripſiſſe anno 2. Olympiadis 254: poſt Chriſtum natum anno 238. Nam 1014. anni Olympiadici conſtituunt Olympiades 253. & annos duos. Detractis vero annis Iulianis completis 45. ab annis Iul. 283. Cenſorini, reſtat annus 238. quo poſt Chriſtum vixit & ſcripſit Cenſorinus. Vide etiam Scaligerum de Emend. temp. lib. 3. pag. 138. *Quando Cenſorinus ſcripſerit.*

*Secundo* colligitur inter ſcriptionem Cenſorini, & inter Chriſti natalem decurriſſe Olympiadas 59. & annos 2: proinde Chriſtum eſſe natum Olympiadis 194. anno quarto.

*Tertio* colligitur retro numerando à natali Chriſti ad primam Olympiadem, initium annorum Iphiti ſeu Olympiadum fuiſſe ante Chriſtum natum annis 776: ante hunc annum Chriſti, quo hæc ſcribimus, 1599. annis 2374. Quanquam ne in hiſce quidem hypotheſibus Chronologi omnes conveniunt: eò quòd aliqui natalem annum Domini anno uno anticipant, in annum tertium Olympiadis 194. quibus ego non aſſentior. Hæc igitur, quæ dixi, ex illo Cenſorini loco ſatis certa videntur.

Verùm, quo minus ex hac Cenſorini annotatione prorſus indubitata Chronologia uſque ad Chriſtum conſtrui poſſit, duo videntur obſtare.

Vnum, quòd Cenſorinus ipſe de eo, quod pronunciat, non omnino fuit certus, ſed ſecutus eſt authoritates aliorum non multò vetuſtiorum Varronis Plinii & Solini: quorum ille ſeculo Chriſti, iſti poſt Chriſtum σύγχρονοι vixerunt. Dubitanter enim ait: NISI FALLOR. *hic annus eſt* 1014. *ab Olympiade primâ.* &c. Si igitur fallebatur in ſuo anno Cenſorinus, quod fieri poterat, quia hæſitabat: etiam fallit calculus de Olympiadum initio inde deductus.

*Alterum*, ut maximè calculus, quo ab anno Cenſorini retro ad primam Olympiadem per annos 1014. aſcen-

aſcenditur, non falleret: tamen in exacta primæ Olympiadis cum annis mundi connexione Chronologis omnibus videtur aqua hærere: quod tam enormis diſſenſio Luculenter oſtendit.

Nam principium Olympiadum figunt

*Alii* in anno 46 Vziæ regis Iudæ.

Anno M 3186 ut Lucidus,
Anno M 4423

*Alii* in anno 49 Vziæ ut Euſebius in Chronicis:

Idem Euſebius lib. 10. cap. 3. de præpar. Euang. ſcribit Olympiades cœpiſſe temporibus Ahas, qui fuit Nepos Vziæ.

*Alii* in 52 anno Vziæ
Anno M. 3196 ut Bucholzerus.

*Alii* in 2 anno Iorham Vziæ filio:
Anno M. 3188 ut Chytræus.
*vel* Anno M. 3189 ut Funccius.

*vel* Anno M. 3192 ut Buntingus.
*vel* Anno M. 3195 ut Gvvaltherus.

*Alii* in anno 3. Iotham
Anno M. 3192 ut Mercator.

*Alii* in anno 13 Iotham
*vel* Anno M. 3204 ut Africanus.
Anno M. 3193 ut Bibliander.

*Alii* in anno 14 Iotham
Anno M. 3194 ut Candidus.

*Alii* deniq; in anno 31 Ioas filii Ahaſiæ
Anno M. 3154 ut Beroaldus.

Scaliger 3174. ſic ex Calviſius die 23. Iulii feria 3.

Iſta ſententiarum diverſitas incertitudinem connexionis hujus vehementer arguit, & computum independentem plane lubricum eſſe oſtendit.

CAPVT

# CAPUT VI.

*Tertia ratio connexionis hiſtoriæ ſacræ cum profana per annos urbis conditæ exploratur.*

PEr annos Vrbis conditæ &Coſs. Romanorum æquè profectò lubrica fit continuatio. CENSORINVS ibidem ex Varrone ait, annum quo ſcribebat, eſſe ab Vrbe condita ſeu à primis Palilibus, unde urbis anni numerantur, 991. Erant autem PALILIA ſive *Parilia* feſtum in honorem PALIS Deæ paſtorum celebrari ſolitum quotannis die natali urbis, IX Calend. Maji, ſeu XXI Aprilis, quo die putatur urbs condi cœpta. Vnde Propertius lib. 4. *Sive Parilia.*

*Vrbi feſtus erat, dixere Palilia Patres:*
*Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.*

Ovid. 4. Faſt.

*Apta dies legitur quæ mœnia ſignet aratro*
*Ducta Pales aderat: inde monetur opus.*

Hinc natalem Vrbis annum plerique figunt in 23 anno Olympiadico ſeu in anno 3 Olympiadis ſextæ exacto ſeu ad finem labente. Eutropius de Romulo agens: *Is, inquit, inter paſtores cum latrocinaretur 18. annos natus, urbem exiguam in monte Palatino conſtituit XI. Calend. Maij. Olympiadis Sextæ anno 3. poſt Troiæ excidium (ut qui plurimum minimumve tradunt)* anno 394. Hæc Eutropius quam ſententiam noſter Chriſtimannus aſſerit p. 269. Solinus varias refert veterum ſententias diſcrepantes: *Cincio*, inquit, *Romam 12. Olympiade placet conditam. Pictori octava: Nepoti & Luctatio opiniones Eratoſthenis & Apollodori comprobantibus Olympiadis primæ anno ſecundo Pomponio Attico & M. Tullio Olympiadis Sextæ anno tertio Collatis igitur noſtris & Græcorum temporibus, invenimus incipiente Olympiade ſeptima Romam conditam.* *Solin. cap 8.*

Hæc

Hæc Solinus, qui anno primo Olympiadis ſeptimæ, hoc eſt, anno Olympiadico 25 Romam conditam putat. Sed alii aliter jam olim ſenſerunt. Nam referente Dionyſio Halic. lib. 1. Cephalo Gergiehius antiquiſſimus ſcriptor ſecunda ætate poſt bellum Trojanum ait conditam Romam ab iis, qui cum Ænea ſe ex Ilio proripuerint, habuitque aſtipulatores plurimos veterum. Alij prodiderunt Romam bis conditam: ſemel non multò poſt belli Trojani tempora: verum ætate poſt priorem quintadecima. Quin authore Antiocho Syracuſano ſcriptore nec vulgari nec recenti invenitur eſſe tertia Romæ conditura, & Roma antiqua, Trojanis temporibus ſuperior, ut quæ ante Æneæ Trojanorumque in Italiam adventum fuerit.

In tantâ ſcriptorum varietate de natalibus urbis Romæ quid quæſo certi pronunciabimus? Teſtis hujus incertitudinis locupletiſſimus ſit etiam Scaliger, de primis Palilibus urbis ſic ſcribens: *Varroni ætatem patefactam & deſcriptionem Patriæ debent Romani. Sed fruſtra eſt, quod in hac re certitudinem quandam exigunt & aucupantur, non ſolùm recentiores, ſed & veteres: cum coniecturis potius, quam probabilibus rationibus de natalibus urbis cùm Varro tùm alii poſt eum diſſerant. Non enim conſtat inter eos. Neqne mirum, cum eam rem ſerò tractare cœperint, & nullus certus character ejus rei ſtatui poſſit.* Hæc Scaliger. Quare certa hic authoritate & conſenſu Scriptorum Romanorum rurſus deſtituimur. Incertitudinem etiam oſtendit diligens collatio Chronologiæ Luianæ, Sigonii, Glareani, Grellii & aliorum, inter eos in annis urbis & in ſerie Coſſ. Rom. paſſim non levis obſervatur diſcordia: quæ proinde & horum annalium fidem dubium ſatis arguit.

*Scaliger lib. 5. Emend. Tempor.*

*Vide Cicer. in Bruto.*

*Fr. Petrarcha ep. 12. p. 343 Roma à quib. condita, incertum, ſed à quib. habitata, notiſſimũ.*

*Vide Onufr. de faſtis lib. 1. pag. 15. Liv. Comm. Grellij Chronolog. pag. 8. Genebr. Chronol. p. 346.*

Verum ut maximè hic quoque res certa eſſet: tamen in legitima connexione natalium Urbis cum annalibus ſacris Chronologi non minus hærent, quam prius in connexione Olympiadum. Quare ne hac quidem via ſatis certò Chronologia contexitur.

CAPUT

# Caput VII.

## *Quarta continuationis ratio per anuos Nabonaſſari explicatur.*

ANnos Nabonaſſari uſitatè connectunt cum anno 30. Olympiaco, ſeu anno 2. Olympiadis ſeptimæ, & urbis conditæ anno ſeptimo. Nabonaſſarum vero eſſe Salmanaſſarum Aſſyriorum regem, qui anno ſexto Hizkiæ regnum Samariæ evertit: communis hodie Chronologorum fert opinio. Porrò & nomen & anni Nabonaſſari ex ſolo Ptolomæo & Cenſorino innotuerunt. Ptolomæus lib. 3. cap. 8. Almag. à regno Nabonaſſari uſque ad mortem Alexandri colligit annos AEgyptios 424. A morte vero Alexandri uſque ad regnum Auguſti annos 694. qui numeri ſimul juncti efficiunt annos 718 à Nabonaſſaro uſque ad annum primum Auguſti. Hunc ſecutus Cenſorinus loco Prædicto annotat, annum ſuum de quo diximus, à primo Nabonaſſari anno eſſe 986: ab exceſſu Alexandri Magni 562. Hinc igitur Chronologi initium illud annorum Nabonaſſari deducunt hoc modo. *2. Reg. 17. 6. & cap. 18. 10.*

Ponunt, primum annum Auguſti incidere in annum tertium Olympiadis 186: qui fuit annus Iphiti 743. Ab his ſi demas annos 718. à Ptolemæo annotatos, reſtabunt anni 29. completi, quibus Nabonaſſar prima Olympiade eſt poſterior. Sic ſi 986. annos Nabonaſſari à Cenſorino notatos demas à 1014. annis Olympiadicis, quos idem annotavit: reſtabunt anni 28. completi, quibus prima Olympias Nabonaſſarum anteceſſit. Calculus chron. Ptolomæi & Cenſorini uno tantum anno diſcrepat.

Nexum porro annorum Nabonaſſari quaſi certum petunt ex alio quodam Ptolomæi loco lib. 5. cap. 10. Almageſti: ubi ſcribit, quintum annum Nabopolaſſari eſſe 127. à Nabonaſſaro. Nabopolaſſarum vero ajunt eſſe Nebucadnezarem Magnum, qui anno 19. ſui regni capto & abducto Zidekia, Hieroſolymam delevit. Hujus

annus

annus primus incidit in annum quartum Iojakim regis Iudæ, ut patet Ierem. 25. 1. ubi dicitur: *Factum eſt verbum Domini ad Ieremiam anno quarto Iojakim: Ipſe eſt annus primus Nebucadnezaris regis Babylonis.* Hac annotatione ſcribunt Ieremiam ipſam clavem hiſtoriarum nobis porrigere, & rationem copulandæ hiſtoriæ profanæ cum biblicis eventibus oſtendere. Sic igitur colligunt:

Si annus quintus Nabopalaſſari ſeu Nebucadnezaris eſt 127. annus Nabonaſſari ſeu Salmanaſſaris: Ergo primus annus Nabopolaſſari ſeu Nebucadnezaris eſt 123. annus Nabonaſſari ſeu Salmanaſſaris. Primus autem Nebucadnezaris annus cohæret cum anno quarto Iojakim: Ergo idem quartus annus Iojakim cohærebit cum 123. anno Nabonaſſari.

Hinc porrò ſequitur, Chriſtum natum eſſe anno Nabopalaſſari ſeu Nebucadnezaris 623. Nam ſi de annis 1014. Olympiadum, quos ad ſuum uſque annum ponit Cenſorinus, ſubducantur primum anni 30. Olympiadici, qui ſunt ante æram Nabonaſſari: poſtea anni 123. elapſi ab æra Nabonaſſari ad primum annum Nabopolaſſari: tertiò anni 238, quibus poſt Chriſtum ſcripſit Cenſorinus: reſtabunt anni 623. Et tantum erit intervallum inter quartum annum Iojakim & inter Chriſti natalem. Iam ſi annus quartus Iojakim cohæret cum anno mundi 3347, ut connectit Bucholzerus diligentiſſimus alioqui Chronologiæ indagator: Vtique principium annorum Nabonaſſari cohærebit cum anno mundi 3224: & annus natalis Domini incidet in annum mundi 3970. Hæc ſumma eſt demonſtrationis Bucholzeri, & eorum qui ante eum hanc ſententiam ſunt amplexi.

## Caput VIII.

### *Examen continuationis per ann. Nabonaſſari.*

*Calviſii: annus Nabonaſſaris incipit*

Et certè ſi ulla dari poteſt hiſtoriæ profanæ cum ſacra connexio probabilis: hæc ſola erit; & hanc ſolam ego

ego amplecterer. Verum neque ea omninò ſolida videtur : quoniam hypotheſes quibus nititur non ſunt ἀναμφίλεκτοι. PRIMO enim ut Ptolemæi & Cenſorini auctoritates in medio nunc relinquamus, valdè incertum eſt, quod pro confeſſo ſumitur, Nabonaſſarum eſſe Salmanaſſarem illum Samariæ vaſtatorem. Dubitandi cauſa non ſolum eſt ipſa nominis diverſitas, de qua Scaliger non ineruditè diſſerit: ſed hæc potiſſimum ex ſcriptura ſacra, & ex ipſo Ptolemæo petita ratio; quòd Salmanaſſar habuit ſucceſſorem regni Sancheribum: 2. Reg. 17. 3: & 18. 13. Nabonaſſar verò Ptolemæi habuit ſucceſſorem non Sancheribum, ſed Mardocempadum (Ptol. lib. 4. cap. 6. 7. 8. Almag.) qui ſi eſt Merodach ille mittens legatos, & munera ad Hiſkiam poſt morbum: Ieſa. 39. 1. (ut fert communis opinio, & nominum ſimilitudo arguere videtur) magis adhuc laborat prima hypotheſis. Nam Merodach non fuit filius Salmanaſſaris, ſed Baladanis: nec fuit rex Aſſyrius ut Salmanaſſer, ſed Chaldæus. Fuiſſe autem tunc temporis Chaldæorum & Aſſyriorum regna diviſa, ex hiſtoria ſacra liquidò conſtat. Ea enim ejus temporis reges Aſſyrios, quorum ſedes erat Nineve, & Chaldæos qui Babylone regnabant accuratè diſcernit.

*26. Febr. feria 4.*

*Nabonaſſar quis fuerit.*

Reges Aſſur ordine Scriptura recenſet quinque;

Pul: —— —— 2. Reg. 15. v. 19.
Tiglat Pelaſſar: —— 2. Reg. 15. v. 29.
Salmanaſſar: —— —— 2. Reg. 17. v. 18.
Sancherib: —— —— 2. Reg. 18. v. 13.
Aſſarhaddon —— —— 2. Reg. 19. v. 37.

Reges verò Babylonis nominat duos ab his diverſos:

Baladan —— 2. Reg. 20. v. 2. Et Ieſ. 39. 1.
Berodach vel Merodach —— Ibidem.

Unde colligitur eodem tempore Merodachum filium Baladanis in Babylone: & Aſſarhaddonem filium Sancheribi in Aſſyria regnum obtinuiſſe: proindeque duo illa regna tunc diviſa fuiſſe: ſive deinceps à Merodacho, aut ab ejus ſucceſſore (quod nonnulli annotant, & ex 2. Par. 33, 11. colligi videtur) iterum fuerint conjuncta

ſive non. Ex iſta & nominum & regnorum diſcrepantia apparet, Nabonaſſarum Ptolemæi Salmanaſſarum non eſſe. Id ipſum Scaliger pluribus argumentis demonſtrat, potiuſque judicat eſſe Baladan Chaldæum Merodachi parentem vel avum.

*Scal. lib. 5. emen. temp.*

Quidam Nabonaſſarum faciunt Sancheribum; Sed & hic Aſſyrius fuit non Chaldæus.

*Ptol. lib. 4. cap. 3. Almag*

Arabes Ptolemæi interpretes Nabonaſſarum vocant Nabucodonoſorum, unde exiſtimarunt nonnulli eſſe Nebucadnezarem Magnum. Verum inter hunc & ſeptimum annum Cambyſis non poſſunt dari anni 225, quos à Nabo naſſaro ad Cambyſen Ptolemæus colligit.

*Ptol. lib. 5. c. 14. Almag*

Tandem aliquibus videtur Nabonaſſari nomen fuiſſe generale nomen regum Chaldæorum, æramque Nabonaſſari appellari eam, unde Ægyptij annales ſuos ad motuum cœleſtium obſervationes cœperint ſupputare, ut cenſet CHRISTMANNUS noſter Comment. de connex. annorum. pag. 275. ſic igitur conjecturis Chronologi de Nabonaſſaro certant & diſſident. Ex hypotheſi vero tam controverſa certam continuationem peti non poſſe certum eſt.

SECUNDO, ut maximè iſta hypotheſis certa eſſet: maneret tamen incertus connexionis annus: quandoquidem hiſtoria ſacra non exprimit, quoto regni ſui anno Salmanaſſar Samariam everterit: licet exprimat everſionem illam incidiſſe in annum ſextum Hiſkiæ 2. Reg. 18. 10. Hinc adeo eſt, quod Chronologi æram Nabonaſſari cum annis mundi admodum diſſentienter & variè connectunt, ut hic etiã vix duos invenias concordes.

| | | |
|---|---|---|
| Euſebius cum anno mundi | | 4462 |
| Lucidus | | 3213 |
| Chriſtmannus Scaliger. & Calviſius | | 3203 |
| Candidus | | 3209 |
| Bibliander | | 3214 |
| Funccius | | 3217 |
| Mercator | | 3221 |
| Bunſingus | | 3222 |
| Bucholzerus | | 3224 |
| Beroaldus | circiter | 3289 |

Quæ

Quæ diverſitas iterum, quantam ſecum trahat incertitudinis ſuſpicionem, nemo non intelligit.

TERTIO, æquè incertum eſt, quod ſumunt, Nabopolaſſarum eſſe Nebucadnezarem, qui Hieroſolymam delevit. Cùm enim Ptolemæus à Nabonaſſaro ad quintum annum Nabopolaſſari ponat annos 127, à Salmanaſſare vero ad quintum annum Nebucadnezaris ex hiſtoria ſacra ad ſummum colligantur anni vix 116, conjectura autem Chronologorum, quod Salmanaſſar ante captam Samariam regnaverit annis 6. vel 7, vel 10 vel 3 (alij enim pauciores, alij plures ponunt, prout calculum vident convenire ſuo abaco) nulla prorſus vel ſacra vel profana nitatur authoritate: multo ſanè eſt veriſimilius Nabopolaſſarum eſſe Nabucodonoſorum primum anteceſſorem & patrem Nebucadnezaris Magni. Idque Ioſephus confirmat ex Beroſo Chaldæo ſcribens, patrem Nebuzadnezaris Magni fuiſſe Nabolaſſarum, ſeu ut Euſebius legit, Nabopolaſſarum, & regnaſſe annos unde triginta: cui ſententiæ etiam Scaliger & Chriſtmannus noſter ſubſcribunt. Quod ſi ita eſt, ruunt jam & hypotheſes aliæ & conſectaria omnia hujus ſententiæ, & clavis aditum ad certam connexionem non aperit. Neque enim jam quartus annus Iojakim cohærebit cum anno 123, ſed vix cum 87 anno Nabonaſſari: & ſic luxata erit tota illa connexio ex quarto Iojakimi & primo Nebucadnezaris anno deducta: neque amplius conſtabit intervallum inter primum Nabopolaſſari & Chriſti natalem annum: Denique iterum turbata erit, annorum Nabonaſſari cum annis mundi cohærentia: Quod & Chronologorum diſſenſio ſatis oſtendit: quandoquidem in hac connexione non minus quam in priore inter ſe variant. Liquet igitur etiam hanc viam per annos Nabonaſſari & Nabopolaſſari ſalebris duriſſimis non carere: licet videatur reliquis vijs aliquantò expeditior & tutior.

*Ioſeph. lib. 1. contr. Appion.*

# Caput IX.

## *Quinta continuationis ratio per annos Perſicos excutitur.*

Reſtat quinta continuandæ Chronologiæ ratio, quæ per annos Cyri & regum Perſicorum uſque ad Alexandrum Magnum, indeque ad Chriſtum natum inſtituitur. Qui hac via incedunt, ttes potiſſimum habent hypotheſes Primò. Aſſumunt ex Ptolemæo, à Nabonaſſaro uſq; ad mortem Alexandri Magni fluxiſſe annos AEgyptios 424. à morte Alexandri uſque ad initium regni Auguſti, annos 294: Inde colligunt, cum Chriſtus Dominus (Euſebio referente) natus ſit anno 42 imperij Auguſti completo: natalem igitur Chriſti cohærere cum Nabonaſſari anno 760. Tot enim annos tres illi numeri in ſummam collecti conficiunt. Secundo ex eodem Ptolemæo aſſumunt, quod alibi ſcribit, annum ſeptimum Cambyſis fuiſſe 225 Nabonaſſari. A Cambyſe igitur per annos ſequentium regum Perſicorum uſque ad Alexandrum, & ad Chriſtum deſcendendo Chronologiam commode continuari poſſe exiſtimant.

*Ptol. lib. 3. cap. 8. Almag.*

*Ptol. lib. 4. cap. 14. Almag.*

Tertiò à primo Cyri anno uſque ad devictum ab Alexandro Darium ultimum Perſarum regem, ex græcis ſcriptoribus Herodoto, Xenophonte, Diodoro, Dionyſio &c. annos Monarchiæ Perſicæ colligunt circiter 230: quos deinde per annos regum Syriæ vel Ægypti ad victoriam Actiacam indeque ad Chriſtum continuant. Verum hæc via plus alijs ſalebrarum habere videtur.

Principiò enim ad Ptolemæi authoritates, quod attinet, jam ante oſtenſum eſt certam inde continuationem vel connexionem texi non poſſe, eò quod de Nabonaſſaro quis fuerit, deque primo ejus anno Chronologi certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Deinde, ſi juxta ſcriptores Græcos, monarchia Perſica duravit annos 230, à Nabonaſſaro ad mortem Alexandri non erunt tantum anni 424, ut vult Ptolemæus, ſed minimum 436. Nam à Nabonaſſaro ad primum annum

Nabopo-

Nabopolaſſari juxta Ptolemæum anni ſunt 125, Inde ad deportationẽ Iechoniæ Septem. Si modo Nabopolaſſar eſt Nebucadnezar, cujus annus primus cum quarto Jojakimi cohæret. A deportatione Iechoniæ uſque ad monarchiam Perſicam anni 70 : ſiquidem anni captivitatis ab ea deportatione inchoentur ſi verò à deportatione Zidkiæ, erunt anni 81. Ab initio monarchiæ Perſicæ uſque ad finem ejuſdem, ſeu ad captam ab Alexandro Babylonem anni 230. Hinc ad mortem Alexandri anni ſex: qui omnes collecti ſunt anni 436, vel etiam 447. Quare apparet computum hic non congruere.

Tertio, initiũ regni Auguſti; ad quod à morte Alexandri Ptolemæus annos 294 numerat, eſt ambiguũ. Communiter quidem id ſumitur à primo Auguſti conſulatu, quem inijt anno proximo à cæſo Iulio, h.e, anno Iuliano 4, quo etiam paulo poſt cum Antonio & Lepido Triumvir cum ſummo imperio eſt renunciatus. Ab hoc ergo tempore (ſcribit Chriſtmannus de Calend. Romano) quo triumviratum iniit Octavianus numerandi ſunt anni imperii Auguſti. Et mox: Itaque annus quartus Iulianus habendus eſt pro primo anni imperii Auguſti. Alij verò id ſumunt ab ejus victoria Actiacâ h. e, anno Iuliano 16, quarto Non. Septemb. ut vult Xiphlinus ex Dione: p.61. Xiphil. p.59. ante Actiacam victoriã Antonius jurabat ſe victo Auguſto poſt duos menſes imperium depoſiturum, nondum igitur id habuit Auguſtus. Alii biennio poſt, ab ejus triumpho, quo urbem ingreſſus victor & Monarcha totius orbis eſt ſalutatus: ut Cenſorinus factâ collatione epocharum Iulianæ & Auguſtalis oſtendit. Auguſtalem enim Iuliana 18. annis poſteriorem facit. Ægyptios verò biennio illam anticipare dicit. Si igitur dubium eſt, ubi ſeu in quonam horum initiorum Ptolemæus à morte Alexandri annos 294. terminet, utique hæc ipſa annorum annotatio non eſt indubia, & ad inveſtigandum certum Chriſti annum parum utilis. Quin ſi eſt probabile, Cenſorinum ſequi Ptolomæum, conficietur Chriſtum vel 24. anno Auguſti, vel demum 67. anno Iuliano natum eſſe, quorum utrunque omnium Chronologorum ſententiis repugnat.

Quartò, inter Chronologos nec de primo anno Cyri nec regibus Perſicis, nec de annis Monarchiæ Perſicæ hactenus convenit. Nam primum Cyri annum, quo Deus ſpiritumCyri regis perſidis excitaſſe dicitur,ad dimittendum populum, & ad quem uſque ſacram hiſtoriam continuâ ſerie annos ſuos pertexere eſt extra controverſiam: alii capiunt de primo anno regni Perſici, quo nimirum Cyrus devicto Aſtyage Medorum potentiam tranſtulit ad Perſas: alii de primo anno Monarchiæ Perſicæ, quo Cyrus Babylonem cœpit, quique initio regni 20. annis fuit poſterior: quæ ſententia verior cenſetur. Scaligeri verò opinio, quod primus annus Cyri dicatur primus annus ſolutæ captivitatis Iudaicæ, etſi falſa non ſit, tamen quadam ſubtilitate nova vult videri, cum novi aut diverſi à proxima ſententia revera nihil habeat. Porro ex diverſitate hujus principij palam eſt, diverſitatem computi & connexionem dubiam neceſſariò exiſtere.

*2. paral. 36. 22. Eſdr. 1. 1.*

*Euſebius in Chron. Bibliander.*

*Lib. 6. de emend. temp.*

In nominibus porrò & annis regum Perſicorum aſſignandis & fingendis, major certe eſt authorum diſcrepantia, & quorundam libertas, quàm ut paucis perſtringi, aut certo computo ſubſterni poſſit. Recitabo ſententias aliquot præcipuas.

*Cteſias anno 18. lib. 12.*

*Nota Herodot, lib 3. pag. 78 refert Ægyptios Cambyſen ſibi vendicare aſſerentes ex Apriæ filia illũ eſſe genitum, contra Perſarum opinionem,*

Græcorum opinione communiter numerantur Perſarum reges decem, anni 230, vel minimum 227, hoc modo:

1. Cyrus, quem volunt regnaſſe annis — 29 vel 30.
2. Cambyſes ——— — 7 vel 9.
3. Darius Hiſtaſpis filius cuſ. an. 31. — 36.
4. Xerxes ——— — 20.
5. Darius Artaxerxes Longimanus cuſ. an. 42. ——— —— 40.
6. Darius Nothus ——— 19.
7. Artaxerxes Mnemon ——— 40.
8. Darius Ochus — — — 36.
9. Arſanes vel Arſes ——— 4.
10. Darius codomanus, — — 6.

Summa: anni 227 vel 230.

*Calviſius Cyrus concedit Iud liber. an. M. 3419 occiditur, anno 3421. anno. Nabop. 220. Olympiadis 62 anno 4. Camb. 7. Darius 33. Xerx. 20. Artax. 41. Xerx. 1. Dar Noth. 19 Artax. 43. Dar Och. 23. Arſes 4. Dar. 6. vincitur anno M. 3620.*

Euſebius

Euſebius in Chronico Perſis reges tribuit quatuordecim, addens decem illis alios quatuor: Magos patres, Artabanum, Xerxen II, & Sogdianum.

Clemens Alexandrinus — reges 5 — annos 235 *Clem. Strom. l. 1. Tert. adv. Iud., Sulp l. 2. l. 1.*
Tertullianus — reges 5 — annos 106
Sulpitius Severus — reges 13 — annos 250
Scaliger — reges 9 annos minimum 200 Calviſius 201.
Iunius — — reges 11 — annos 201

Ab omnibus multum diſſidet Metaſthenes Perſa, qui ſcripſit ſub Arſe penultimo perſarum rege, ſi ipſi creditur. Iuxta hunc poſt captam Babylonem in Perſia & Chaldæa regnarunt reges novem annis 191: hoc ordine:

1. Darius & Cyrus ſimul — annis 2
2. Cyrus ſolus. — — 22
3. Artexerxes Ahaſverus. — — 20
4. Darius Artaxerxes Longimauus — 37
5. Darius Nothus — — 19
6. Artaxerxes Mnemon — — 55.
7. Artaxerxes Ochus — annis 26
8. Arſes, quo regnante ſcripſit: — 4
9. Darius ultimus. — — — 6.

In tanta authorum diſſonantia certi aliquid pronunciare difficile eſt: ac dum alii hujus alii aliorum authoritatem ſequuntur, fit ut in computo annorum nunquam conveniant. Quod vero quidam ex libris Danielis, Eſdræ]& Nehemiæ Chronologiam Perſicam ita erui poſſe exiſtimant, ut in priſca hiſtoria nihil occurrat facilius, quam regum perſidis cum libris dictis conciliatio: Id quidem ſi verum certumque eſſet, inſtituto noſtro ſerviret maxime. Sed facilè res ipſa loquitur, vix alibi majores tenebras eſſe, quam in Chronologia Perſica: neque conciliatio illa quam venditant, graviſſimis ſcrupulis vacat: de quibus hic non eſt dicendi locus. Videatur Scaliger de emendatione temp, lib: 6. Et Beroaldi Chronologia lib. 3. cap. 8.

Deniq; quàm etiam lubricus ſit computus ab Alexandro ad Chriſtum per annos regum Seleucidarum vel Lagidarum, collatio authorum ſatis oſtendit. Certè Clemens, Tertullianus, Euſebius, Sulpitius Severus, ut de aliis nihil dicam, minimè concordant. Neque ſi hos conciliare vellem, aliud agerem, quam ſi ex arena funiculum necterem.

Ex quibus proinde omnibus hactenus apparet, multa quidem de connexione hiſtoriæ profanæ cum ſacra, deque hujus per illam continuatione uſque ad Chriſtum probabiliter diſputari: ſed nihil tamen indubitato concludi poſſe. *Quando enim ita confuſè de temporibus ſcribitur, univerſa hiſtoria titubat*: ut fatetur Euſebius loco ſupra citato.

*Euſeb. lib. 10. cap. 3. de Præpar. Evang.*

CHRONO-

# CHRONOLOGIÆ SACRÆ

## LIBER II.

## De computo ſacro annorum Mundi uſque ad Cyrum.

### Caput I.

*Proponitur per certa intervalla Chronologiæ ſacræ inveſtigatio.*

VIdeamus verò jam, num tempus à mundi principio elapſum uſque ad nativitatem & paſſionem Domini, ex ſcripturis aliquanto certius detur eruere. Ego ſane in ea ſum opinione, ſpiritum ſanctum ne hîc quidem deeſſe nobis voluiſſe, quin luculenta veſtigia temporum inde ab Adamo primo uſque ad Adamum ſecundum, h. e. uſque ad Chriſtum in hiſtoria ſua figeret, quæ in texenda Chronologia pro Cynoſura ſequeremur abſque errore. Ad quæ proinde magis quam ad profanas authoritates, variè ab invicem & à ſacra hiſtoria diſſidentes, oculos intendere nos convenit. Præclaram verò & æterna laude dignam operam nobis hîc navavit, MATTHAEVS BEROALDVS, qui Chronologiam non, ut alii, ex profanorum hominum libris, ſed ex ſacræ ſcripturæ authoritate integram contexens, à prima mundi origine uſque ad Chriſti mortem fluxiſſe demonſtravit annos 3961: ad Nativitatem vero annos 3928: quam ſententiam tanquam divinis comprobatam ac nitentem oraculis, eòque certam, omnibus Chriſtianis unicè ſequendam ac retinendam eſſe

 judico,

judico. Ego ſane in hac ſynopſi ejus ubique veſtigiis inſiſtam: Niſi quod quædam, quæ Beroaldum fugiſſe videntur, in hiſtoria ſacra certa obſervatione annotabo, pauloque aliter, quam ipſe fecit ad inveſtigationem & collectionem computi prædicti accommodabo.

Septem igitur BEROALDVS propoſuit metas ſive curricula temporis uſque ad Chriſtum ex definitis in ipſo DEI verbo rebus maxime memorabilibus.

PRIMVM curriculum definit à mundi ortu uſque ad diluvium: annorum 1656.

SECVNDVM à diluvio uſque ad promiſſionem factam Abrahamo de benedicendis in ejus ſemine omnibus gentibus: annorum 427.

TERTIVM à promiſſione uſque ad promulgatam legem in monte Horeb: annorum 430.

QVARTVM à promulgata lege ad fundatum à Salomone templum annorum 480.

QVINTVM à fundato templo uſque ad tranſmigrationem Babylonicam annorum 408.

SEXTVM à tranſmigratione uſque ad reditum populi ex Babylone Sub Cyro, annorum 70.

SEPTIMVM tribuit LXX hebdomadibus Danielis, quæ annos conſtituunt 490: quorum initium figit in primo anno Cyri: finem in paſſione Domini.

Hæc curricula collecta oſtendunt annum paſſionis Dominicæ 3961: & nativitatis 3928. completum ab orbe condito: demtis nimirum ab annis paſſionis annis 33 ætatis Chriſti.

Etſi autem hæc ſumma veritati haud dubiè convenit: In nonnullis tamen curriculis determinandis præſertim ſecundo, quinto & ſeptimo aliquid dubii habere & correctionem admittere videtur BEROALDI calculus: Proinde ſalvo ipſius & aliorum judicio, quid mihi videatur, perſpicuè exponam.

PRINCIPIO igitur ab illo creati cœli & terræ principio, à quo Moſes Geneſin orditur, uſque ad Chriſtum natum cum Beroaldo ſtatuamus annos 3928. completos, uſque ad eundem crucifixum annos 3961.

ECVNDO annotemus, hos annos omnes intelligendos eſſe Solares æquabiles ſive Ægyptios, exceptis

poſtremis

poſtremis 45 vel 78, qui ſolares inæquabiles ſeu Iuliani fuerunt. Nam Chriſtus omnium propè conſenſu natus eſt anno Iuliano 45 exeunte, paſſus vero 78 currente. Porro AEgyptij (ut hoc obiter moneam) ordiebantur annum ab æquinoctio autumnali, qui conſtabat duodenis menſibus tricenorum dierum, & ſic habebat dies 360, quibus quotannis ad complendum ſolarem motum, poſtremo menſe adjiciebant dies quinque, ut fierent dies 365, quot diebus annus ſolaris communis conſtat. Horas verò ſex quotannis in motu ſolari redundantes non intercalabant quarto quoque anno, ut Iulius poſtea conſtituit, ſed elapſis 120 annis, menſem embolinum 30 dierum anno ſuo adjiciebant: quam anni formam eſſe antiquiſſimam juxta & ſimpliciſſimam ac popularibus temporibus accommodatiſſimam Scaliger teſtatur.

*Vide Xiphil. p. 2. Cæſar rationem anni attulit ab Ægyptiis qui tunc non habent annos æquabiles.*

*Annorum Ægyptiorum ratio.*

*Vide Herodotum lib. 2. p. 44. Scalig. de emen: temp. lib. 3. de anno Ægyp.*

Eam verò anni rationẽ non ipſi AEgyptii invenerunt ex aſtris (ut vult Herodotus lib. 2.) ſed à patribus Hebræis acceperunt, quos talibus omnino annis ac menſibus ante & poſt diluvium uſos eſſe, & poſtea in AEgyptum ſcientiam Aſtronomicam importaſſe, non ſolum ex hiſtoria diluvii & ſubſequente, liquidò doceri poteſt: ſed etiam teſtatur Ioſephus lib. 1. Antiqui. cap. 16. & Euſebius de præparat, Euang. lib. 9. cap. 4. Hujus modi etiam annos Ptolemæus uſque ad imperium Auguſti numerat. Verùm quia, ut ſupra oſtendimus, initium Auguſti ambiguum eſt: nos tantum uſque ad reformatum a Iulio Calendarium annos AEgyptios æquabiles fluxiſſe cogitemus: Tametſi velint nonnulli, Hebræos ab Alexandri morte annis Atticis lunaribus inæqualibus uſos eſſe, quod ad rem præſentem parum habet momenti. Nam Ptolomæus AEgyptios annos habet: & tales etiam habent hebdomades Danielis, juxta computum Chaldæorum, apud quos vivebat. Chaldæi enim anno æquabili ſolari à Nabonaſſaro utebantur. Scalig. l. 2. Vltimus igitur annus AEgyptius antecedens primum Iulianum cogitetur fuiſſe annus mundi 3883. ſed imperfectus.

TERTIO

TERTIO nos ſimiliter ſeptem intervallis ſive curriculis illuſtribus in ſcriptura ſacra notatis, ſeriem annorum diſtinguimus hoc modo:

PRIMVM eſto ab orbe condito uſque ad diluvium continens annos. 1656.

SECVNDVM inde à diluvio uſque ad oraculum de ſervitute ſeminis Abrahami in AEgypto. Gen. 15. v. 13. cui tribuimus annos 437.

Et cum fine hujus intervalli connectimus annum mundi 2093.

TERTIVM ab oraculo ſervitutis edito uſque ad ejus complementum, ſeu uſque ad exitum populi ex AEgypto. Exod. 12. 40. complectens annos 430.

Finis hujus cohæret cum anno Mundi 252.

QVARTVM ab exitu populi uſque ad fundatum à Salomone templum 1. Reg. 6. 1. quod eſt annorum 480.

Terminatur in anno mundi. 3003.

QVINTVM à templo exſtructo uſque ad deportationem Iechoniæ & populi 2. Reg. 24. 14. cui tribuimus præciſè annos 401.

Terminatur in anno mundi 3404.

SEXTVM continet annos LXX. captivitatis Babylonicæ à deportatione Iechoniæ uſque ad liberationem primo anno Cyri factam. 2. Paral. 36. v. 21. 22.

Quorum finis cohæret cum anno Mundi 3474.

SEPTIMVM à reditu populi uſque ad Chriſtum excìſum ſeu crucifixum ſecundum vaticinium angeli Dan. 9. 26. continens ſeptimanas annorum ſeptem & ſexaginta duas & dimidiam, h. e. annos 487.

Terminantur in anno mundi. 3961.

A quibus ſi demas annos 33 ætatis Chriſti, reſtabunt anni completi 3928. in cujus anni finem, annus natalis Chriſti incidit.

CAPVT

# CAPUT II.

## *Primi intervalli à principio ad diluvium finitum illuſtratio.*

CAEterum ne in his intervallis obſcuri vel dubii aliquid relinquatur, ſingula porrò ex hiſtoria ſacra paucis oſtendenda & illuſtranda ſunt.

PRIMUM igitur curriculum ſeu intervallum per decem generationes patrum Genes. cap. 5. & cap. 7. 11. deſcriptas ab orbe condito uſque ad 600 annum Nohæ ſeu ad diluvium incipiens continet annos 1656.

| | | |
|---|---|---|
| Nam ab Adamo condito ad natũ Seth | ſunt an. | 130 |
| A Seth ad natum Enos | | 105 |
| Ab Enos ad natum Cainan | | 90 |
| A Cainan ad natum Mahaleel | | 70 |
| A Mahaleel ad natum Iered | | 65 |
| A Iered ad natum Enoch | | 162 |
| Ab Enoch ad natum Metuſelah | | 65 |
| A Methuſelah ad natum Lamech | | 187 |
| A Lamech ad natum Noah | | 182 |
| A Noah ad diluvium | | 600 |

Summa eſt annorum 1656, qui verus eſt annus diluvij incipientis menſe ſecundo decima ſeptima die menſis. Neque hic dubij eſt aliquid, niſi quod quidam adducti ratione parum firma (quòd videlicet ubicunque in ſcripturis ſacris annorum numerus ponitur, iiſque menſes & dies menſis adjiciuntur, ibi ſermo ſit de annis completis) initium diluvij in annum currentem 1657, finem ejuſdem in ſubſequentem 1658 protrahunt: cum quibus annis mundi annum currentem ætatis Noah 601 & 602 cohærere manifeſtum eſt. Ergo cum Gen. 7. 11. dicuntur rupti fontes voraginis magnæ anno 600 vitæ Noah menſe ſecundo, decima ſeptima die menſis, intelligunt id factum poſt annum 600 Noah completum, currente jam ejus anno 601, menſe ſecundo &c.

Rurſus

Rurſus cum Gen. 8. v. 13. 14. dicitur terra aruiſſe anno 601 vitæ Noah, menſe ſecundo, viceſima ſeptima die menſis: id factum interpretantur poſt annum Noah 601 completum, currente jam anni ejus 602 menſe ſecundo. Hoc ajunt certiſſimum eſſe in ſacris literis, & Regulam infallibilem. Sic Funccius lib. 1. Chron. & Bucholzerus. Atqui, quod pace tantorum virorum dixerim, regula hac nihil eſt infirmius, nihilque incertius: & iſta calculi ratio hiſtoriæ Moſis manifeſtè adverſatur. Neque enim dicit Moſes: Anno 600. vitæ Noah, & menſe ſecundo &c. ſed abſque copula: Anno 600 menſe ſecundo &c. ut ejuſdem non ſequentis anni menſem ſecundum eadem ſignificari manifeſtum ſit. Ac Regulam ſi maxime alibi infallibilis eſſet, locum hic non habere ex ver. 6. cap. 7. firmiter colligitur. Si enim ubi annis adduntur menſis & dies anni completi neceſſario intelliguntur, contrà ubi annis menſis & dies non adduntur anni incompleti ſeu currentes aut vergentes etiam neceſſario intelligentur. Atqui ver. 6. abſque additione menſis & diei ſimpliciter dicitur veniſſe diluvium, cum Noah eſſet 600 annorum, h. e, cum ageret 600 annum: Hoc enim Hebraiſmus ſignificat: *Erat filius* 600 *annorum*: non hic ſolum, ſed & cap. 5. 32 de Noah & de Sem. cap. 11. 10. & præcipuè de Abraham. Gen. 17. ver. 1. 17. ubi certum eſt, Abrahamum anno nonageſimo currente accepiſſe oraculum de naſcituro Iſaaco: centeſimo autem currente Iſaacum genuiſſe.

Regula porrò, quæ pro infallibili affertur, manifeſtiſſimis exemplis ſcripturæ infringitur. Deut. 1. 4. *Quadrageſimo anno, menſe undecimo, prima die menſis concionem habuit Moſes ad populum*: Hic menſis undecimus quadrageſimi anni currentis non poteſt non intelligi: alioqui is fuiſſet annus Exodi quadrageſimus primus.

Exod. 40. 17. *Menſe primo anno ſecundo prima die menſis erectum eſt tabernaculum*. Id non de anno ſecundo expleto, ſed currente intelligi oporterc hiſtoria indicat: in quem & Funccius ipſe tabernaculi erectionem ponit Chronol. pag. 32. Non diſſimilis eſt locus. Num. 1. 1. *In primo menſis ſecundi anno ſecundo exitus*, ubi ſecundus non tertius annus currens ab exitu notatur.

Item

Item Ezech. 40. 1, adduntur dies menſis anno 25 migrationis, & tamen intelligi 25. annum currentem oſtendit quod additur: In principio anni.

Ierem. 52. 31. *Evilmerodach rex Babylonius exaltavit caput Iechoniæ regis Iuda anno 31 tranſmigrationis ejus duodecimo menſe viceſima quinta menſis.* Secundum regulam hîc intelligendus eſſet annus non 37 ſed 38 ad exitum vergens. Quis vero hoc crediderit?

Ibidem ver. 5 Expugnata dicitur urbs undecimo anno Hiskiæ menſe quarto nona menſis. Iuxta regulam expugnatio facta fuit 12 anno currente Hiskiæ. Atqui certum eſt, quod decimum regni annum ne attigerit quidem Hiskias.

Similia occurrunt Ezech. 1. 1. 2. & 8. 1. & 20. 1. & 24. 1. & 29. 1. & 31. 1. & 32. 1. &c. quibus locis omnibus non menſes & dies adduntur annis completis ſed currentibus, ut circumſtantiæ oſtendunt. Quare & Gen. 7. 11. menſis & dies anno 600 Noah additi non evincunt, ſupra abſolutum 600 ætatis Noah annum inſuper ſeſquimenſem à Moſe ſignificari. Vnde conſequens eſt initium diluvij in annum mundi 1656 currentem, qui 600. currenti Noah reſpondet, finem vero in mundi 1657 currentem incidere.

Quæ Pererius contra objicit, verè ſunt περίεργα & frivola.

*Primum* ait, ſi fuit annus currens, arca uno & dimidio menſe fuiſſet fabricata. At hoc omni ratione caret. Imo à quingentiſimo anno currente, quo arcam conſtruere juſſus erat, vel etiam 20. annis ante uſque ad 600 currentem, fuerunt 100 vel 120 anni intermedii.

Non diſſimile eſt quod ait, juxta noſtram ſententiam inter denuntiationem diluvii & ejus adventum minus duobus menſibus interceſſiſſe. Atqui minimum 100 annos interceſſiſſe vel puer digitis dinumeret.

Neque verò Auguſtinus nobis ad verſatur affirmans, Noah cum ei præcepit deus de facienda arca, fuiſſe annorum 480. Imò quod dicimus confirmat. Saltem hoc differt, quod 20 annis ante 500 anticipat denunciationem & mandatum, ut 120 anni reſipiſcentiæ conſtent. Id verò ſententiam de 600 currente nil lædit. *Auguſt. lib. 15. cap. 24. de Civ. dei.*

Quomodo

Quomodo autem , ſi 600 currente ætatis Noah cæpit diluvium , ab origine mundi couſque fluxerint tantum * non verò 1556 anni , quem tamen numerum (inquit Pererius) Chronologi optimi ponunt: nemo facilè diuinaverit : cum nihilominus 1656 maneant, ſaltem poſtemus horum intelligatur inchoatus & currens , quo etiam toto uſque ad ſecundum menſem ſequentis anni diluvium duravit.

** * Fideliter expreſſimus autographum tamen pro 1556. lege 1655. & mox pro 850. lege 949.*

Errat denique Pererius cum dicit: Si Noah incipiente diluvio tantum inchoaverat 600 annum : cum poſt diluvium annos 350 vixerit: Gen. 9. 28. non fuiſſet, cum moreretur , annorum 950 ſed tantum * 850. Errat inquam iterum : Quis enim non intelligit, annos 350 additos ád 600 , etſi ultimus horum ſit currens , tamen conficere 950?

Nunc articulos primi intervalli breviter hoc modo ad annos mundi accommodemus.

| | | |
|---|---|---|
| Adam creatus à Deo in principio die ſexto | anno mundi | 1 |
| Seth filius Adami naſcitur. | | 130 |
| Enos filius Sethi naſcitur. | | 235 |
| Cainam filius Enos naſcitur | | 325 |
| Mahaleel filius Cainam naſcitur | | 395 |
| Iered filius Mahaleel naſcitur | | 460 |
| Enoch filius Iered naſcitur | | 622 |
| Methuſelah filius Enoch naſcitur | | 687 |
| Lemech filius Methuſelah naſcitur | | 874 |
| Noah filius Lemech naſcitur | | 1056 |
| Diluvium à ſecundo menſe durans per totum annum | | 1656 |

Quoniam verò juvabit, forte lectores non ſolùm natales patrum annos cum annis Mundi connectere , ſed eorundem quoque ætatis , obiter ſyn Chroniſmos tenere , qui cum quibus vixerint, qui ante quos deceſſerint : viſum eſt hæc omnia brevi typo oculis ſubjicere: qui oſtendet, Adamum qui primus peccaverat, primò etiam mortuum eſſe : Methuſelech poſtremò ipſo diluvii anno ineunte,

TABVLA

Quod ſi ſcire voles, quot annis quiſq; Patrum ante Patriarcham alium, vel ante diluvium natus fuerit vel deceſſerit: nullo etiam negocio ex tabula *A.* inveſtigabis, ſi annum natalem vel emortualem cujuſque Patrum ab annis Patriarchæ alterius vel diluvii ſubduxeris: verbi cauſa, quæris quot annis Adam deceſſerit ante natum Noah vel ante diluvium? Subduc annum emortualem Adami 93. ab anno natali Noah 1056 : habebis annos 126. vel ab anno diluvii 1656: habebis annos 726. quibus Adam ante Noah natum, vel ante diluvium eſt mortuus.

## Caput III.

*Secundi intervalli à diluvio finito ad oraculum ſervitutis editum, annorum quadringentorum triginta ſeptem demonſtratio.*

SECVNDVM CVRRICVLVM ſive intervallum annorum quadringentorum triginta ſeptem à diluvio per ſubſequentes decem generationes Geneſ. 11. v. 10, &c, uſque ad editum de ſervitute ſeminis Abrahami oraculum Geneſ. 15. 13. ſic demonſtratur.

| | |
|---|---|
| A diluvio ad natum Arphachſad ſunt anni | 2 |
| Ab Arphachſad ad natum Selah | 35 |
| A Selah ad natum Heber | 30 |
| Ab Heber ad natum Peleg | 34 |
| A Peleg ad natum Reu | 30 |
| A Reu ad natum Serug | 32 |
| A Serug ad natum Nachor | 30 |
| A Nachor ad natum Therah | 29 |
| A Therah ad natum Abraham | 130 |
| A nato Abraham uſque ad ejus egreſſum ex Haram | 75 |
| Inde ad oraculum de ſervitute ſeminis. | 10 |

Qui numeri in unum collecti conficiunt annos ſecundi intervalli quadringentos triginta ſeptem.

Sed tria in hoc intervallo occurrunt dubia.

PRIMVM dubium eſt de biennio, quod poſt diluvium natus dicitur Arphachſad Gen. 11. 10. Id enim nonnulli ex prædicta regula protrahunt in annũ mundi 1659 vel etiam 1660. Verum hoc eſt levius. Regula enim nititur incerta, ut oſtenſum eſt. Ego cum Beroaldo natalem Arphachſad connecto cum anno mundi 1658 exeunte, qui erat annus alter à diluvio finito, & ab egreſſu Noah ex arca.

ALTERVM dubium eſt difficilius de anno natali Abrahami, qui videtur non fuiſſe centeſimus triceſimus annus Therah, ſicut poſuimus: ſed ſeptuageſimus annus Therah: quia ſcriptum eſt Gen. 11. 26: *Vixit autem Therah ſeptuaginta annos & genuit Abram, Nachor & Haran.* Hinc vulgata ſententia eſt Chronologorum, Abraham fuiſſe primogenitum Therah, natum anno 70 Therah, quia primo loco inter filios Therah nominatur: egreſſum verò ex Haran anno 145 Therah, ætatis ſuæ 75. Verum hæc ſententia tantis laborat difficultatibus, ut authores qui eam ſequuntur veteres & recentes, iis explicandis mirum in modum ſeſe torqueant, neque tamen expediant.

*Primum* ſi litera urgenda eſt, tres filii Abraham Nachor & Haran eodem anno ſeptuageſimo Therah nati dicendi erunt, quod haud dubiè eſt falſum.

*Secundo*: ſi Abraham fuit primogenitus Therah ſequitur fratrem ejus juniorem Haran anno ætatis ſuæ octavo vel nono genuiſſe Saram filiam, Abrahami uxorem. Sara enim tantum decennio minor fuit Abrahamo ut patet Gen. 17. 11. Fuit autem (juxta receptam

Gen. 11. 29. ſententiam) filia Haran, alias Iſchah dicta, Abrahami neptis ex fratre, unde ſororem ſuam vocavit Gen 20. 12. Illud autem eſt abſurdum.

*Tertiò*: ſi Abraham natus eſt anno Septuageſimo Therah, & anno ſeptuageſimo quinto ſuæ ætatis egreſſus eſt de Haran: egreſſus ejus incidit in annum ætatis Therah centeſimum quadrageſimum quintum. Nam tot annos ſeptuaginta & ſeptuaginta quinque conficiunt. Aut igitur patre Therah ſuperſtite aut mortuo eſt egreſſus. Si ſuperſtite, quomodo verum erit, quod dicit

cit Stephanus protomartyr Actor. 7. 4. poſt mortem patris Abrahamum ex Haran profectum eſſe? ſi mortuo; quomodo verum erit, quod dicit textus Gen. 11. 32. Therah vixiſſe annos ducentos & quinque? peribunt igitur ſexaginta anni ex vita Therah, quod fieri non poteſt.

His & aliis nodis ſolvendis Auguſtinus jam olim inſudavit ſeſeque exercuit variis excogitatis conciliationibus: ſed quibus nec ſibi nec aliis ſatisfacere potuit: Videatur lib. 16. de C. D. cap. 14: & lib. 1. q.q. in Gen. q. 25. ubi tandem etiam priorem ſententiam quod anno 130 Therah ſit natus Abraham magis approbare videtur, tanquam cum narratione Stephani congruentiorem & expeditiorem ſicut revera eſt. Ea enim nihil in ſe habet incommodi: alterius verò ſententiæ difficultates nullo negotio tollit; ac rationes omnes facilè diſſolvit.

*Objicitur* primò, quod dicit Moſes: *Vixit Therah ſeptuaginta annos & genuit Abraham, & Nachor & Haran.* Verum non eſt hic ſenſus; quod Therah anno ſeptuageſimo ætatis vel Abraham ſolum vel tres ſimul genuerit: ſed quod eo anno filios gignere cœperit; & unum ex his genuerit nempe, Haran primogenitum: poſt aliquot annos Nachor: tandem anno centeſimo trigeſimo Abraham natu minimum: quem tamen ſcriptura aliis anteponit non ætatis ſed dignitatis ratione habita: *Cauſa*, inquit Auguſtinus, *non eſt nativitatis prioritas ſed ordinis dignitas*: Pláne ut de filiis Noah dicit Moſes Cap. 5. 32. *Cum Noah 500 eſſet annorum genuit Sem, Ham, Iapheth*: ubi Iaphetum quem poſtremo numerat, primo fuiſſe genitum, anno dicto, Semum biennio poſt, Hamum ultimo conſtat ex Gen. 9. 24. & Gen. 11. 10.

*At numerat*, inquiunt, *Moſes ſeriem annorum ſeu χρονολογίαν in Abrahamo*: ſane, ſed non per hos ſeptuaginta Therah; verum aliter ut mox oſtendetur.

*At ſi centeſimo trigeſimo anno Therah demum natus eſt Abraham, id annotatum oportuit.* Imò ſatis evidenter annotatum id eſt in ætate Therah, & in anno egreſſus Abrahami ex Haran poſt patris mortem:

*At hiabit hic continua annorum ſeries, ac ne quidem Abraham ipſum attinget.* Sane, ſi in ſeptuaginta annis Therah ſubſiſtendum eſſet, hiaret: Verum addita eſt integra ætas Therah, & annus egreſſus Abraham ex Haran, unde duplex χρονολογίας continuatio eſt certiſſima, ut mox liquebit.

*Sic verò demum in Novo Teſtamento à Stephano Act.7, indicata erit continuatio.* Imo ab ipſo Moſe egregie indicatam eſſe, mox patebit. Fruſtra igitur infertur ex Moſe continuationem annorum texi non poſſe.

Objiciunt, porrò, *cum aliorum patrum annum natalem tam ſedulò indicaverit Moſes, cur in ſolo Abraham defeciſſet* Reſpondeo: Nam defecit magis in Abraham quam in Sem anno natali implicitè eum indicando.

*Quinquies*, inquiunt, *exprimit Moſes diverſos annos Abrahami 75, 86, 99, 100 & 175. Cur igitur annum quo natus eſt reticeret?* Reſpondeo. Non reticet implicitè: imò indicat apertè ſatis cum ſeptuageſimum quintum annum annotat, alioqui nulla admodum notationis ejus fuit cauſa vel ratio.

*Verum eſt. Ioſephum, Euſebium, Bedam & præcipuos Chronologos hujus temporis ſequi aliam ſententiam.* Sed & verum eſt, omnes illos quos necti vident nodos non ſolvere, nec ſolvere poſſe: & ſexaginta annos ex Chronologia mundi deperdere, quos alibi ante ſeptimanas Danielis aliqui ſine ratione dum compenſare ſtudent, tempora pertuabant, & oraculo Danielis vim faciunt, dum illud ad Græcorum profanorum normam inflectere, frangere & mirum in modum interpolare non dubitant, ut ſuo loco oſtendetur.

*Patres*, inquiunt, *ante Therah genuerunt anno 29, 30, 32, 34, ætatis Ergo Therah non demum 130. genuit Abrahamum.* At hinc ne quidem ſeptuageſimo demum genuiſſe ſequeretur.

Objicitur & hoc: *Nachor pater Therah centeſimo quadrageſimo octavo anno ætatis mortuus* eſt: *& Abraham ipſe miraculi loco ducit, ſi ex ſe centenario, & Sara nonagenaria naſcatur filius. Non igitur probabile videtur, Therah demum centeſimo anno genuiſſe Abraham.* Reſpondeo. Quod Nachor item Haran mature deceſſerunt, non oſtendit alios ſeniores

niores generare non potuiſſe. Miraculum reputat Abraham ſi centenarius gignat, non ſui ſed Saræ uxoris ſterilis & effœtæ reſpectu. Alioqui majus fuiſſet miraculum, quod etiam poſt obitum Saræ ex Cetura in ſera ſenecta generavit Gen. 25. v. 2.

Denique ajunt, *quod Stephanus Act. 7. v. 4, dicit, poſt mortem Therah Abraham eſſe egreſſum ex Haran, & tunc ſeptuaginta quinque annorum fuiſſe id ex vulgi opinione vel ex communi hominum, non ex Moſis ſenſu ab eo dictũ, & ideo cum* GRANO SALIS, *accipiendum h.e. dubiæ veritatis, eſſe nec ſimpliciter credendum: Moſi plus credendum: Stephani orationem ad Moſis hiſtoriam, lignum ad regulam non contrà examinandum.* Hoc verò eſt ſecare nodum graviore nodo, h. e, ſuſpectam reddere fidem ſcripturæ. Stephanus loquebatur plenus fide & Spiritu ſancto: Ergo non errat, nec contradicit Moſi: nec diſſentit: nec eſt dubiæ veritatis, ad liberam & communem duntaxat opinionem directa ejus narratio. Qui vero hoc ſentiunt, utique grano ſalis non parvo indigent. Atque hæc hæc de anno natali Abrahami breviter: quem proinde ſtatuimus eſſe annum Therah centeſimum triceſimum, eumque cum anno mundi ducenteſimo octavo connectimus hac evidenti demonſtratione, nitente quatuor hypotheſibus ſcripturæ certiſſimis. *Demonſtratio certiſſima de anno natali Abrahami.*

I. *Quòd Therah pater Abraham vixit annos ducentos quinque:* Hæc patet Gen. 11. 32.

II. *Quòd idem mortuus eſt in Haran.* Hæc patet ibidem.

III. *Quòd Abraham poſt mortem patris egreſſus eſt ex Haran.* Hæc patet. Gen. 12. 4. Act. 7. 4.

IV. *Quòd Abraham tunc natus fuit annos ſeptuaginta quinque.* Hæc etiam patet Gen. 12. 4.

Hinc ſequitur neceſſariò, Abraham anno patris Therah centeſimo triceſimo natum eſſe. Si enim Abraham patre moriente, & ſub egreſſum ex Haran fuit annorum ſeptuaginta quinque, utique pater eum genuit ſeptuaginta quinq; annis ante ſuum obitum. Tunc autem pater fuit annorum centũ triginta: ſubductis enim annis ſeptuaginta quinq; ex annis ducentis quinq; vitę Therah relinquitur annus centeſimus Therah. Hic autẽ incidit, ut diximus in annum mundi ducenteſimum octavum.

*Luther. Super Gen. in c. 11.* Neq; dici poteſt, quod videtur Luthero, Therah quidem genuiſſe Abraham anno ſeptuageſimo, & Abraham moriente patre habuiſſe tantũ ſeptuaginta quinq; : ut ſic conſtent anni Therah centũ quadraginta quinq; Reliquos verò annos ſexaginta vitæ Therah amitti ex Chronologia ſacra ſingulari Dei conſilio, ut tẽpus finis ſeculi ignoremus. Hac enim ratione omnia tẽpora poſſent convelli.

*Ratio continuandæ Chronologiæ ex annis Therah duplex.* Iam continuandæ Chronologiæ rationem quod attinet, fateor me diu in ea fuiſſe ſententia, ætatem Therah annotatam Gen. 11, 32, nihil ad eam pertinere, ſed Chronologiam una tantũ ratione ex anno natali Abraham contexi debere. Penitus vero cõſiderata re vidi tandem ſpiritum ſanctum non fruſtra ætatem Therah tam disertè numeraſſe, quod in nullo patrum præcedentium fecerat : Geminam ergo Chronologiæ contexendæ rationem hic nobis oſtendere voluit Moſes, *Vnam* per annum natalem Abraham: *alteram* per ætatem Therah: & quidem hanc priore multò manifeſtiorem.

Per annum natalem Abraham ſimpliciter hoc modo, ut eum ad annum natalem Therah patris addamus. Annus natalis Therah patris fuit mundi milleſimus octingenteſimus, ſeptuageſimus octavus: His addatur natalis Abraham annus, h. e, anni centum triginta vitæ Therah. Sic incidet natalis Abraham in annum mundi bis milleſimum octavum. Dehinc recto ordine ſequuntur ætates Abraham, Iſaac, Iacob, &c. & ſic Chronologia continuatur.

Per ætatem verò Therah apertius hoc modo. Ad annum natalem Therah qui fuit mundi milleſimus octingenteſimus ſeptuageſimus octavus, addatur tota ejus ætas, anni videlicet ducenti quinque : habebimus annos M. bis mille octoginta tres. Ab his rurſus deme annos ſeptuaginta quinque egreſſus Abraham ex Haran; quoniam tunc Abraham Therah filius patri ſucceſſit in vita & Chronologia. Habebis iterum annum mundi bis milleſimum octavum verum Abraham natalem : ſicque eodem modo ut prius ſeries annorum per ætates patrum procedet. Hæc ſine dubio ſola cauſa eſt, cur ſpiritus Sanctus exemplo ſingulari & integram Therah ætatem conſignarit, & ætatem Abraham ſub egreſſum ex

ex Haran diligenter notarit. Sed de anno natali Abraham ſatis: de quo coronidis loco ſubjicio Auguſtini verba: Quæſt: ſup. Gen. qu. 25, poſtquam nodos hujus quæſtionis per recapitulationem ſolviſſet, addit: *Poteſt & ſic ſolvi, quoniam ſcriptura, quæ dixit: cum eſſet Tharah annorum 70 genuit Abraham & Nachor & Aram, non utique hoc intelligi voluit, quia eodem anno 70 ætatis ſuæ omnes tres genuit: ſed ex quo anno generare cœpit, eum annum commemoravit ſcriptura.* Fieri autem potuit, ut poſterior ſit generatus Abraham: ſed meritò excellentiæ qua in ſcripturis valde commendatur prior fuerit nominatus: ſicut propheta priorem nominavit minorem: *Iacob dilexi: Eſau odio habui*: Et in paralipomenon, cum ſit quartus naſcendi ordine Iudas prior eſt nominatus, à quo judaicæ genti nomen eſt datum, propter tribum regiam. Commodius autem plures exitus inveniuntur, quibus quæſtiones difficiles diſſolvuntur. Poſtea allegata narratione Stephani. Non parvam, inquit, anguſtiam affert huic expoſitioni quæ ſit per recapitulationem. Tandem concludit: *Soluta quæſtio eſt ſecundum recapitulationem: Quamvis & aliæ ſolutiones non ſint contemnendæ.*

## CAPUT IV.

### *Oſtenditur decennium inter egreſſum Abraham ex Haran & oraculum de ſervitute quadringentorum annorum ſeminis Abrahami.*

Reſtat tertium dubium ſecundi intervalli, quod hæret in ejus ultimo articulo.

DECENNIUM illud ab egreſſu ad oraculum de ſervitute ſeminis, cujus diſerta ſit mentio geneſ. 16. 3. fateor me ſatis mirari non poſſe tam ſecurè hactenus à Chronologis neglectum atque prætcritum eſſe, quaſi ſcriptum non fuerit, aut quaſi credibile eſſe poſſit, fruſtra à ſpiritu ſancto ſcriptum id eſſe. Sic autem ibi Moſes: *Tulit itaque Sarai uxor Abrahami Hagar Ægyptiam ancillam ſuam, in fine decem annorum, ex quo habitare cœperat Abram in terra Canaan, & dedit eam Abræ viro*

*ſuo in uxorem.* Prætereunt, inquam, hos decem annos Chronologi atque interpretes omnes quos vidi, quaſi dicis cauſa annotatos: ac miror magis, ne quidem à BEROALDO diligentiſſimo annorum ſacrorum ſcrutatore obſervatos eſſe. Miſcent verò eos cum ſequente intervallo, inchoantes annos 430 repromiſſionis (ut vocat Hieronymus) mox ab egreſſu Abram, ex ur Chaldæorum in Haran, & ex Haran in Cananæam. Ponit enim Euſebius utrumque egreſſum eodem anno factum eſſe, quod tamen pauci concedunt nec eſt credibile Ego verò re diligentius penſitata deprehendi tandē, Moſen hoc decennium minimè fruſtra vel abs re, ſed omninò propter Chronologiam ſacram tam diſertè nobis prodidiſſe, & eo neglecto decem rurſus annos ex Chronologia ſacra deperdi, totidemque annis Exodum Iſraelitarum hactenus anticipari, ut ex ſequentibus patebit.

*Repromiſſio terræ ac Seminis & oraculum de Servitute non ſunt idem.*

Ac primum REPROMISSIO benedictionis, multiplicationis Seminis, & poſſeſſionis terræ, cum ORACVLO de ſervitute afflictione & liberatione ſeminis minime confundi, ſed illa ab iſto diligenter diſtingui debet. REPROMISSIONEM namque Abraham & ante & poſt egreſſum ex Haran aliquoties diverſis vicibus & annis à Deo factam & repetitam eſſe, conſtat ex hiſtoria Geneſ. cap. 12. v. 2. 7. & cap. 13. v. 15. 16. & cap. 15. v. 5. 18. & cap. 17. v. 6. 7. 8. 16. & cap. 22. v. 17. 18. At ORACVLVM de ſervitute editum eſt Abrahamo non ſæpius, ſed ſemel tantum, nempe Geneſ. 15. v. 13. nec ante egreſſum ex Haran, aut illico ab egreſſu: ſed toto decennio poſt.

Id verò ſic ſe habere *ſecundò loco* ex hiſtoria dupliciter demonſtro.

*Primum* migratio Abrahami ex Haran in Sichem: Gen: 12. v. 6. habitatio in Bethel: Ibid. v. 8. fames in Cananæa: & deſcenſus in AEgyptum: Ibid. v. 9. 10. amiſſio & recuperatio Saræ. Ibid. v. 15. 19: famis cananeæ mitigatio: & ditatio ingens Abrahami Gen. 13. v. 2. reditus in Bethel: Ibid. v: 3. ſeparatio à Lotho & habitatio in Hebron: Ibid. v. 18. captivitas & liberatio Lothi. Gen. 14. v. 12. 16. querela Abrahami de orbitate: Gen.

Gen. 15. v. 3. & repromiſſio: hæc inquam omnia tam multa, non uno anno, ſed minimum novem aut decem annis contingere potuiſſe, nemo credo dubitabit: neque id Funccius aliique diligentiores diffitentur. Atqui poſt hæc omnia demum Abraham in ſomno accepit ORACVLVM de ſervitute ſeminis, dicente Domino ad ipſum ſoporatum: Gen. 15. v. 13. *Sciendo ſcias, quod peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua, & ſervient illis, affligentque eos quadringentis annis*: ubi ſupra quadringentos annos intelligendos eſſe inſuper triginta annos, ex Exod. 12. v. 40. & Gal. 3. v. 17. conſtare arbitror.

Deinde hiſtoria evidenter oſtendit, Abrahamo oraculum id revelatum eſſe eo ipſo anno, quo conqueſtus erat de ἀτεκνίᾳ, acceperat repromiſſionē ſeminis, & prolis deſiderio ancillam Hagar duxit uxorem. Hæc autem decennio poſt egreſſum ex Haran facta eſſe expreſsè dicitur. Gen. 16. v. 3. *In fine decem annorum ex quo habitare cœperat Abram in terra Canaan, Sarai dedit Abræ viro ſuo Hagar in uxorem.* Abſque dubio igitur eodem anno decimo, paulo nimirum ante ductam Hagar, etiam audiverat illud oraculum, ſicut id proximè ante conjugium cum Hagar à Moſe recitatur.

Iam hoc ſtante, oraculum de ſervitute decennió poſt ingreſſum in Cananæam Abrahamo datum eſſe: ſequitur neceſſariò decennium illud inter egreſſum Abrahami ex Haran, & inter annos ſervitutis oraculo illo definitos annis Abrahami inſerendum & neutiquam in Chronologia ſacra prætereundum eſſe. Id evidentius etiam liquebit, ubi ſequenti intervallo demonſtravero, annos ſervitutis, de quibus ſonat oraculum, nequaquam à prima promiſſione, vel ab egreſſu ex Haran (ut communis fert opinio) ſed ab oraculo de ſervitute ſeminis, h. e. decennio poſt egreſſum ex Haran inchoandos eſſe: atque eoſdem annos inde ab oraculo edito, ſeu ab illo decennio uſque ad oraculi completionem, h. e, uſque ad Exitum populi ex AEgypto optimè conſtare. Sed prius hujus etiam intervalli articulos ad annos mundi & diluvii breviter accommodemus.

| | Anno mundi. | Post diluvium anno. |
|---|---|---|
| Arphachſad naſcitur | 1658 | 2 |
| Selah naſcitur | 1693 | 37 |
| Heber naſcitur | 1723 | 67 |
| Peleg naſcitur | 1757 | 101 |
| Reu naſcitur | 1787 | 131 |
| Serug naſcitur | 1819 | 163 |
| Nachor naſcitur | 1849 | 193 |
| Therah naſcitur | 1878 | 222 |
| Abraham naſcitur | 2008 | 352 |
| Egreditur ex Haran | 2083 | 427 |
| Accipit oraculum ſervitutis | 2093 | 437 |

Vt vero etiam patrum iſtorum à diluvio uſque ad Abrahamum integræ ætates & ſynchroniſmi ſint in conſpectu: typo juxta ſimilitudinem prioris reticulato totam Chronologiam ſacram hujus curriculi oculis lectoris ſubjiciam. *B.*

## CAPUT V.

### *Tertij intervalli ab edito ſervitutis & liberationis oraculo uſque ad ejus complementum annorum quadringentorum triginta illuſtratio.*

TERTIVM INTERVALLVM annorum quadringentorum triginta ab edito oraculo de ſervitute & liberatione AEgyptiaca nihil haberet difficultatis, niſi de annorum numero variaret ipſa hiſtoria ſacra, & de eorundem initio diſcrepantes eſſent Chronologorum ſententiæ. Vtraque igitur difficultas paucis eſt minuenda,

Sic habet oraculum Gen. 15. 13. *Sciendo ſcias, quod peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua, & ſervient illis, affligentque eos quadringentis annis: Et etiam gentem cui ſervient, judico ego: & poſtea egredientor cum ſubſtantia magna.* Idem oraculum à Stephano protomartyre recitatur Act. 7. 6. his verbis; *Erit ſemen tuum inquilinum in terra aliena: ubi ſervituti ſubjicietur, & malè accipietur annis*

*annis quadringentis : ſed gentem cui ſervierint puniam ego, dicit Dominus : & poſt hæc exibunt, & ipſi ſervient mihi in loco iſto.*

Duobus aliis locis numerus annorum variat. Nam Exod. 12. 4. dicitur : *Habitatio autem filiorum Iſraël, quæ habitaverunt in Mizraim fuit quadringentorum triginta annorum. Fuit autem in fine quadringentorum triginta annorum, fuit inquam hac ipſa die, egreſſi ſunt omnes exercitus Iehovæ è terra Mizraim.* Hunc numerum Paulus Gal. 3. 17. ſecutus : *Hoc autem,* inquit, *dico: pactionem ante confirmatam à Deo reſpectu Chriſti Lex quæ poſt annos quadringentos triginta cœpit, non facit irritum, ut aboleat promiſſionem.*

Horum locorum collatio arguit, vel duobus prioribus numerum integrum non poni, vel duobus poſterioribus corruptum legi. Abſit verò ut hoc poſterius concedamus, cum exempla omnia Hebræa & Græca conſtanter conſentiant, & hiſtoria optimè conveniat. Prius ergo interpretes & Chronologi potius amplectuntur, & rectè meo judicio, in oraculo videlicet definiri numerum non integrum ſed brevitatis cauſa poni annos quadringentos pro quadringentis triginta. Neque enim eſt infrequens in ſcriptura, numerum minorem aliquando omitti, ubi anni non ita præciſe ſupputantur, alibi verò non tacentur. Sicut igitur Deus in oraculo terram AEgypti tacens dixit : *Servient in terra non ſua* : ita tempus præciſè non exprimens dixit : *Servient quadringentis annis.* Aliud enim eſt oraculum aliud hiſtoria. Non puto autem de hoc multum ambigendum eſſe.

Si quæras (ut & hoc non taceam) ſintne hi anni habitationis an ſervitutis Iſraelitarum in AEgypto, an potius univerſæ peregrinationis uſque ad tempus implendi oraculi. Invenio hîc differentes ſententias : licet res minus habeat obſcuritatis. Qui ſentiunt Iſraëlitas annis quadringentis habitaſſe in AEgypto ut Genebrardus & Dunus, diligentiſſimus alioqui hujus intervalli inveſtigator, nimis incertis nituntur hypotheſibus, videlicet;

Quod à venditione Ioſephi in AEgyptum uſque ad exitum Iſraelitarum fluxerint anni illi 430.

Quod

Quod Ioſeph 30. annis fuerit in AEgypto ante deſcenſum Iacobi:

Quod inter ſeptem annos ſaturitatis, & ſeptem annos famis interceſſerint alii ſeptem anni:

Quod confirmatio pactionis, de qua Gal. 3.17. inciderit in annum venditionis Ioſephi:

Quod multiplicatio ſeminis Abrahami demum poſt mortem Ioſephi & fratrum & totius generationis cœperit Exod. 1.7. cum tamen multiplicatio cœpiſſe cognoſcatur ſuperſtite adhuc Iacobo, Gen. 4. 27.

Quod Pharao tyrannus, qui Ioſephum non norat, poſt 200. demum annos à Ioſephi obitu fuerit: & ſimilibus aliis, quæ partim nulla hiſtoriæ ſacræ aut profanæ authoritate, ſed ſola coniectura authorum nituntur, partim indubiis hiſtoriæ argumentis refelluntur. Nam Iſraëlitæ habitare cœperunt in AEgypto, poſtquam Iacob cum filiis eò deſcenderat Manſerunt ibi poſt mortem Iacobi, & omnium filiorum ejus, uſque ad egreſſum, qui fuit anno octuageſimo Moſis. Ita à deſcenſu Iacobi in AEpyptum uſque ad Exodum non reperiuntur niſi ducenti viginti quinque anni qui ſic colliguntur.

| | |
|---|---|
| Iacob vixit in AEgypto annis | Septemdecim. |
| A morte Iacobi ad mortem Ioſephi ſunt anni | quinquaginta tres. |
| A morte Ioſephi ad natum Moſen anni | Septuaginta quinque. |
| A nato Moſe ad Exodum anni. | Octoginta |

Qui anni in ſummam collecti ſunt 225. ſcio alios tantum 210. alios & ex his etiam noſtrum Beroaldum 215. Calvinum 230. habitationi tribuere, ſed erroris cauſa pendet ex ſequente difficultate: & eſſe nec plures nec pauciores quam 225. oſtendetur paulò poſt.

Quod contrà dicitur Exod. 12.40, Iſraëlitarum habitationem in Mizraim fuiſſe annorum 430. intelligendum eſt de tot annis non ibi continua manſione exactis, ſed ibi completis: ſicut Therah dicitur ducentis & quinque annis vixiſſe cum moreretur in Haran cap. 11. 32.

non

non quod tamdiu ibi vixerit, ſed quod ibi annos vitæ, qui tot fuerunt, compleverit. Hæc eſt Auguſtini ſententia Ideo declarationis cauſa ibidem ſubditur: *Fuit autem in fine quadringentorum triginta annorum* &c. Beroaldus l. 3. c. 3. eundem ſenſum oſtendit ſic reddendo verba Moſis: *Peregrinatio verò filiorum Iſraël, qui (filij Iſrael) habitaverunt in AEgypto, fuit annorum quadringentorum & triginta.* Et certe relativum אשר neceſſariò ad proximum בני ישראל refertur: cùm ad remotius referri propter hiſtoriam non poſſit. Noſtri interpretes eodem ſenſu מושב non habitationem, ſed incolatum reddiderunt: Incolatus autem Iſraëlitarum, quo commorati ſunt in AEgypto fuit quadringentorum triginta annorum: addita hac nota: *Iſraelitarum, id eſt non tantum poſterorum Iacobi, ſed ipſius etiam Iacobi & patris & avi, ex quo tempore Vre Chaldæorum avocatus eſt. Tum enim cœpit incola eſſe Iſraël & incolatus duravit uſque ad exitum ex AEgypto: Synechdoche.*

Idem inſuper irrefragabili ratione ex Exod. 6. 18. evincitur, ubi Moſes annotat annos centum triginta tres vitæ Cahath, qui cum Iacob & Levi avo & patre in AEgyptum deſcenderat: & annos centum triginta ſeptem vitæ Amram filii Cahath: & annos octoginta vitæ Moſis filii Amram, uſque ad exitum: Vnde à deſcenſu Iacobi uſque ad Exodum, licet omnes hi anni in Chronologia ponerentur, non tamen plures eſſent quàm trecenti quinquaginta. At inde rurſus demendi ſunt anni Cahath, quos habuit in deſcenſu: & quos poſt genitum Amram vixit: item anni Amram, quibus cum Moſe filio vixit. Si Cahath in deſcenſu fuit puer quadrimus, (ut videtur: neque enim fuit primogenitus Levi) & genuit Amram anno ætatis ſeptuageſimo nono (Mercerus ponit octogeſimo) & Amram genuit Moſen anno ætatis ſeptuageſimo (ut vult Euſebius) & anno 80. exacto Moſis fuit Exodus, ut eſt Exod. 7. 7. deprehenduntur anni præcisè ducenti viginti quinque. Quare anni quadringenti in oraculo Gen: 15: 13, & quadringenti triginta in Exod. 12. 40. de habitatione continua Iſraëlitarum in AEgypto accipi non poſſunt.

Multò verò minus de quadringentis annis ſervitutis

oraculum

oraculum intelligi poteſt. Nam ſervitus AEgyptiaca Iſraëlitarum a morte demum Ioſephi & fratrum ejus cœpit Exod. 1. 6. Mortuus eſt autem Ioſeph ante exitum populi annis centum quinquaginta quinque. Non diutius igitur afflictio duravit.

Quare circumſtantiis omnibus diligenter conſideratis, indubium evadit, annos quadringentos & triginta nec habitationis nec ſervitutis Iſraëlitarum annos eſſe: ſed totius peregrinationis Abrahæ & ſeminis ejus in terra non ſua, h. e, in Chananæa & AEgypto. Quod etiam LXX. exprimere volentes locum Exod: 12. 40. ſic reddiderunt: *Habitatio filiorum Iſraël, quam habitaverunt ipſi & patres eorum in terra AEgypti, & in terra Canaan; ipſi & patres eorum, quadringenti triginta anni.* Et ſic per terram non ſuam, non ſola notatur AEgyptus, ubi ſervitute & tyrannide oppreſſum fuit ſemen: ſed & alia peregrinationum loca, ipſaque Cananæa, ubi peregrinati fuerāt patres ante deſcenſum. Erant ea quidem Abrahamo hæreditario promiſſa, ſed nondum tradita. Nam *veſtigium pedis in ea non obtinuit* ait Stephanus Act. 7. 5. Sic igitur intelligatur oraculum: *Peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua; & ſervient illis; affligentque eos quadringentis annis:* q. d. Non illico te & ſemen tuum in poſſeſſionem mittam, ſed in hac ipſa terra, priuſquam veſtra fiat, & in AEgypto peregrini errabitis, atque ibi etiam diuturnam ſubibitis ſervitutem & afflictionem, poſt annos demum quadringentos finiendam.

*De initio & fine 430. annorum ſervi-*

Supereſt altera difficultas, ubi inchoandi & terminandi ſint iſti quadringenti ſeu quadringenti triginta anni. De termino facilè conſtare poteſt. Nam terminari eos egreſſu Iſraëlitarum, manifeſtum eſt ex ipſo oraculo, cum dicitur: *Et poſtea egredientur cum ſubſtantia magna.*

De initio verò eſt intricatior quæſtio. Non eſſe id petendum à deſcenſu Iacobi ſatis apertum eſt ex jam dictis. Inde enim ad exitum non ſunt nihi ducenti viginti quinque anni. Communiter igitur inchoant annos quadringentos triginta à prima vocatione & egreſſu Abrahami ex Vr Chaldææ: quadringentos verò à nato Iſaaco; ſed diſſimiliter. Alii ante natum Iſaac numerant annos

annos triginta, poſt natum Iſaac uſque ad Exitum annos quadringentos. Euſebius ante Iſaac viginti quinque, poſt Iſaac quadringentos quinque, quem etiam Beroaldus noſter imitatus: lib. 3. cap. 3. Et ut hi expleant annos triginta quinque annos pueritiæ Iſaaci addunt ad viginti quinque. Relinquo autem has ſententias in medio, ne hîc ſim longior ſine cauſa. Nam omnium earum error ex ſequenti annotatione liquebit.

Vnde verò capiendum ſit annorum quadringentorum triginta, & ſic totius intervalli hujus initium, nemo meliùs & certiùs nos docet, quàm Apoſtolus Galat. 3. 17. cum inquit Τοῦτο δὲ λέγω, διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστὸν, ὁ μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα γεγονὼς νόμος οὐκ ἀκυροῖ, εἰς τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν. h. e: *Hoc autem dico, pactionem ante confirmatam à Deo reſpectu Chriſti lex poſt annos quadringentos triginta non facit irritam, ut aboleat promiſſionem.* Hinc firmiter colligo, annos quadringentos triginta decennio poſt egreſſum Abrahami ex Haran, h. e, anno ejus octuageſimo quinto, annis videlicet non viginti quinque ſed quindecim ante natum Iſaac inchoandos eſſe. Notanter enim dicit Apoſtolus, legem Moſis (cujus promulgatio in primum Exodi annum incidit) quadringentis triginta annis poſt διαθήκην κεκυρωμένην, *pactionem confirmatam* cœpiſſe: Non dicit poſt *promiſſionem datam*, ſed poſt διαθήκην κεκυρωμένην: quod hactenus neque Chronologi neque Interpretes ſatis obſervaſſe videntur.

Videamus jam quæſo, ubi primùm inveniatur διαθήκη κεκυρωμένη *pactio inita & confirmata* cum Abrahamo in ejus hiſtoria. Atqui manifeſtum eſt, prius quidem repromiſſionem aliquoties datam & repetitam Abrahamo: Pactionem verò tunc demum initam & confirmatam fuiſſe, quando ei deus dixit: *Tolle mihi vitulum triennem & arietem triennem* &c. Et poſtea: *Hoc die pepigit Iehova* FOEDVS *cum Abraham dicendo ſemini tuo dabo terram hanc à flumine Mizraim &c.* Neque ante hunc diem in hiſtoria Abrahami pactionis aut fœderis ulla vel minima reperitur facta mentio. Vnde certo eſt certius, quod & præcedente curriculo oſtenſum eſt, repromiſſionem, quam vocat Hieronymus, & διαθήκην

θήκην iſtam κεκυρωμένην, de qua loquitur Apoſtolus, multum differre. Si non re ſaltem modo rei & tempore.

Iam quando pactio hæc fuerit firmata quæritur? *Reſpondeo:* decennio poſt egreſſum ex Haran: Hocque non ex conjecturâ levi, ſed ex hiſtoria & textu expreſſo Moſis habetur. Nam pactione inter Deum & Abrahamum ſolenni ritu firmata, ſtatim ſequitur cap. 16. 4. in fine illius decennij, ex quo habitare cœperat Abraham in terra Canaan, Saram dediſſe ei Hagar uxorem: quod fuit Abrahami anno octogeſimo quinto, anno videlicet proximo ante natum Iſmael, quo nato Abraham expreſsè dicitur fuiſſe annorum octoginta ſex. Gen. 16. 16. Quis verò non videat, hiſtoriam ibi planè cohærere & ſpiritum ſanctum non niſi propter Chronologiam ſacram tam illud decennium, quam paulo poſt annum octuageſimum ſextum Abrahami adeò diligenter annotaſſe? Initium igitur annorum quadringentorum triginta, ſeu διαθήκης κεκυρωμένης Gen. 15. 13. nuſquam alibi, quam in fine decennij ab egreſſu Abrahami ex Haran figendum eſſe concludo.

Porro computus perticularis annorum quadringentorum triginta minime jam obſcurus eſt, ſeptem articulis conſtans.

| | | |
|---|---|---|
| 1. | Ab edito ſervitutis oraculo & pactione confirmata ad natum Iſaac ſunt anni | 15. |
| 2. | Ab Iſaac ad natum Iacobum Gen. 25. 26. | 60. |
| 3. | A Iacobo nato ad ejuſdem deſcenſum Gen. 47. 9. | 130. |
| 4. | A deſcenſu ad mortem Iacobi Gen. 47. 28. | 17. |
| 5. | A morte Iacobi ad obitum Ioſephi Gen. 50. 26. | 53. |
| 6. | Ab obitu Ioſephi ad natum Moſen Exod. 2. 10. | 75. |
| 7. | A nato Moſe ad exitum populi ex AEgypto Exod. 7. 7. | 80. |
| | Qui anni ſimul collecti ſunt | 430. |

In his annorum articulis *primus* ab edito ſervitutis oraculo ad natum Iſaac ex hactenus diſputatis ſatis liquet. Accepit enim Abraham oraculum de ſervitute ſeminis decennio poſt egreſſum & Haran, ſeu anno ætatis octogeſimo

ſimo quinto vergente. Geneſ. 16. 4. Iſaacum vero genuit centenarius, ut habetur Gen. 21. 5. Intervallum eſt annorum 15.

*Secundus* patet Gen. 25. 26. Erat enim Iſaac ſexagenarius; cum Rebecca pareret gemellos Iacobum & Eſau.

*Tertius* conſtat ex oratione Iacobi ad Pharaonem. Gen. 47. 28. *Dies annorum peregrinationis meæ ſunt centum & triginta* &c.

*Quartus* eodem capite verſ. 28. annotatur à Moſe cum dicit: *Vixit autem Iacob in terra Mizraim ſeptemdecim annos.*

*Quintus* à morte Iacobi ad obitum Ioſeph non quidem expreſsè definitur in hiſtoria: facile autem ſic inveſtigatur. Mortuus eſt Ioſeph anno ætatis centeſimo decimo Gen. 50. 26. Anno ætatis triceſimo ſtetit coram Pharaone Gen. 41. 46. Poſt annos ſeptem ſaturitatis & anno tertio famis ineunte Iacob deſcendit in AEgyptum. Is annus erat Iacobi centeſimus triceſimus, Ioſephi quadrageſimus Gen. 45. 6. cum patre Ioſeph vixit in AEgypto annos ſeptemdecim Gen. 47. 28. Moriente igitur patre Ioſeph annum ætatis agebat 57. A patris obitu inſuper vixiſſe intelligitur annos quinquaginta tres; ut annos vitæ centum & decem expleret. Computatis enim ſimul annis 30. & 10. & 17. & 53. conſtat ætas Ioſephi anno 110.

In *penultimo* verò *articulo*, quem ab obitu Ioſephi ad natum Moſen hiſtoria ſacra expreſsè non determinat, Chronologi variant, ac omnes ponunt pauciores annos quam 75. idque quia omnes illud decennium Abrahami, quod Gen. 16. 3. ante oraculum ſervitutis expreſsè annotatum habemus, omittunt, & ſic annos 430. decennio anticipant. Sed nec ipſi inter ſe conveniunt, ſed alij plures alij pauciores ſtatuunt annos.

| | |
|---|---|
| Bibliander annos | 59. |
| Tremellius Iunius | 60. |
| Funccius | 62. |
| Lucidus, Beroaldus, Bucholzerus Calviſius | 63. |
| Mercator, Candidus, Buntingus | 64. |

D Cæterum

Cæterùm effluxiſſe ab obitu Ioſephi ad natales Moſis annos non pauciores ſeptuaginta quinque, computus ſuperior evidenter oſtendit. Aliter enim à pactione firmata uſque ad legem anni quadringenti triginta, juxta Apoſtoli locum Gal. 3. 17. nulla ratione conſtabunt.

Denique *poſtremum* articulum etiam à Moſe annotatum habemus Exod. 7. 7. *porrò Moſe* (inquit ipſe) *erat octogenarius? Aaron verò trium & octoginta annorum, quandò locuti ſunt cum Pharaone*: ubi tamen Chronologi rurſus ſibi non conſtanr. Nam alii octogeſimum annum Moſis intelligunt completum proximè ante exitum: alij currentem in exitu, & cum eo annum primum Exitus connectunt. Ego prioribus aſſentior. Quantis enim difficultatibus poſteriores ſe implicent, ſequente intervallo oſtendam.

Colligitur verò etiam hoc *tertium intervallum* alia via, per lineam ſacerdotalem, ex Exod. 6. 16. hoc modo.

| | |
|---|---|
| Ab oraculo ſervitutis ad natum Iſaac ſunt anni | 15. |
| Ab Iſaac ab natum Jacob | 60. |
| A Iacob ad natum Cahath filium Levi quadriennio ante deſcenſum | 126. |
| A Cahath ad natum Amram | 79. |
| Ab Amram ad natum Moſen | 70. |
| A Moſe nato ad Exodum | 80. |
| Qui anni collecti rurſus ſunt | 430. |

Iam totum hoc intervallum etiam ad annos mundi breviter accommodemus:

| | |
|---|---|
| Editum igitur oraculum ſervitutis & pactio firmata eſt Abrahæ anno M. | 2093. |
| Iſaac natus | 2108. |
| Iacob natus | 2168. |
| Deſcendit in AEgyptum | 2298. |
| Mortuus in AEgypto | 2315. |
| Ioſeph mortuus | 2368. |
| Moſes natus | 2443. |
| Populus ex Ægypto liberatus | 2523. |

Sed

Sed & totum hoc curriculum pleniore laterculo adumbratum aſpectui lectoris ſubjiciam.

Vide Tabulam Curriculi Tertij C.

## Caput VI.

### *Quartum intervallum ab Exodo ad fundatum templum annorum quadringentorum octoginta in ſcripturis oſtenditur.*

QVARTVM INTERVALLVM ab exitu populi ad fundatum à Salomone templum ſimiliter in hiſtoria ſacra definitum habemus annis quadringentis octoginta, 1. Reg. 6. ubi ſic ſcribitur: *Porrò quadringenteſimo octogeſimo anno egreſsionis filiorum Iſraël è terra Ægypti, anno quarto, menſe Zif (ipſe eſt menſis ſecundus id eſt Aprilis noſter) regni ſalomonis ſuper Iſraëlem, ædificare cœpit domum Domino:* Qui ſanè locus magnum præbet compendium hiſtoriæ mundi, & ſecat nodos latentes in hoc intervallo non paucos. Abſit verò, ut Sulpitio Severo credamus aut concedamus, numerum ibi corruptum eſſe. Potius ipſe corruptiſſima Græcorum vel Latinorum quorundam exempla ſecutus in tota propè Hiſtoria ſua numeros corruptos habet. Omnes verò Codices eum numerum tanquam genuinum conſtanter annotant, & computus eundem facilè confirmat.

Sic enim anni *quadringenti octoginta* ab Exodo ad templum manifeſtè ſatis colliguntur.

1. Ab egreſſu ex AEegypto ad obitum Moſis ſunt anni quadraginta.
2. Sub Ioſua ſeptemdecim.
3. Sub Iudicum gubernatione uſque ad Heli, ducenti nonaginta novem.
4. Sub Heli 1. Sam 4. 18. quadraginta.
5. Sub Samuele & Saule Act. 13. 21. quadraginta.
6. Sub Davide 2. Sam. 5. 4. quadraginta.
7. Sub Salomone 1. Reg. 6. 1. quatuor.

Hi anni in ſummam collecti quadringenti octoginta.

*Primus* articulus de annis quadringinta ab egreſſu I-
ſraëlitarum ad obitum Moſis diſertè annotatur in ſacr
hiſtoria Deut. 29. 5. & 32, 50, & 34. 7. connecto au-
tem principium horum quadraginta annorum non cum
octogeſimo anno Moſis , ſed cum octogeſimo primo,
ut etiam faciendum monet *Beroaldus* noſter, & rectè fa-
ciunt *Bibliander* ac *Funccius*. Qui enim cum octogeſimo
connectunt quod facit Buntingus neceſſariò vel Moſe
annorum 121. faciunt, vel erroribus Iſraëlitarum anno
tantum triginta novem relinquunt. Adde quod non con-
ſiderant octogenarium fuiſſe Moſen completè, ſicut di-
ſertè habetur Exod. 7. 7. & Actor. 7. v. 23, 30. quan-
do prima vice ingrederetur ad Pharaonem : Exodum
verò poſteà ſub initium novi anni menſe primo, (un-
de deinceps anni quadraginta peregrinationis nume-
rantur) Moſè jam annum octogeſimum primum agen-
te, ſubſecutum eſſe. Ergo ut rectè conſtet ætas Moſis,
numerus quadraginta annorum : initium hujus inter-
valli cum octogeſimo primo anno Moſis neceſſari
connectitur.

*Secundò* quantum ad annos gubernationis Ioſuæ po
Moſis obitum, non ſunt illi quidem in hiſtoria ſacra d
finiti : Ideo variant authores. Euſebius l. 10. de præpa
Eu. cap. 3. tribuit annos 30. Idem vero in Chron. a
nos 27. Totidem ante eum Clemens Alex. lib. 1. ſtrom
& Sulpitius Severus: ſed nimis liberaliter omnes, Com
putus enim ſacer benè ſubductus non patitur hiſtori
Ioſuæ adſcribi niſi 17. annos: In *tertio* autem *articulo*
Iudicum annis paulò difficilior eſt quæſtio. Ex libro
nim Iudicum ab Othomele uſque ad mortem Simſo
colligi videntur anni non tantum ducenti nonagin
novem , ſed quadringenti decem. Paulus quoque
concione Antiochena Act. 13. 19. affirmat, Deum d
diſſe populo Iudices uſque ad Samuelem prophet
annis circiter quadringentis quinquaginta. Quæ ſi
ſunt, conſequens erit, ab exitu uſque ad templum fu
datum annos effluxiſſe non modo quadringentos oc
ginta, ut habet hiſtoria Salomonis, ſed quingentos n
naginta vnum , vel certè quingentos nonaginta du
ut vult Ioſephus lib. 8. Antiq. cap. 3. tribuens Io

an

annos viginti quinque: reliquis Iudicibus uſque ad Heli annos quadringentos tres &c. Hic ſcrupulus multos adeò torſit, ut vel in hiſtoria Regum vel in actis numerum mendoſum eſſe affirmare non dubitaverint, inter quos etiam peritiſſimi ſunt Chronologi, Funccius & Mercator.

Verum haud temerè huc eſt veniendum, ut codices ſacros corruptos credamus, uterque autem hic locus optimè conſtat, & conciliatio non eſt ita difficilis aut obſcura, ſi modo ad hiſtoriæ ſeriem benè attendatur, quemadmodum BEROALDVS noſter hunc nodum planiſſimè diſſolvit: quem & Contius in Chronicis canonibus videtur ſecutus. Notandū igitur, in libro Iudicum diſcerni debere annos afflictionis populi ſub diverſis hoſtibus, & annos gubernationis ſingulorum judicum, ſeu quietis terræ, ut paſſim vocantur in hiſtoria.

Beroal.l.3. c.4.

Anni afflictionis numerantur centum & undecim:

| | |
|---|---|
| Sub Chuſan rege Meſopotamiæ cap. 3. 8. anni | octo. |
| Sub Eglone rege Moabitarum cap. 3. 14. | octodecim. |
| Sub Iabin rege Cananæorum cap. 4. 13. | viginti. |
| Sub Madianitis cap. 6. 1. | ſeptem. |
| Sub Ammonitis cap. 10. 8. | octodecim. |
| Sub Palæſtinis denique cap. 13. 1. | quadraginta. |

Qui in ſummam collecti ſunt centum & undecim anni afflictionis.

Anni vero gubernationis XII. Iudicum & quietis terræ ſunt ducenti nonaginta novem.

| | | |
|---|---|---|
| Othoniel enim | cap. 3. 11. populum judicavit annis | quadringinta. |
| Ehud & Sangar | cap. 3. 30. | octoginta. |
| Barac | cap. 5. 31. | quadraginta. |
| Gedeon | cap. 8. 28. | quadraginta. |
| Abimelech | cap. 9. 22. | tribus. |
| Thola | cap. 10. 2. | viginti tribus. |
| Iare | cap. 10. 3. | viginti duobus. |
| Iephthe | cap. 12. 7. | Sex. |

| | | |
|---|---|---|
| Abeſa | cap. 12. 9. | ſeptem |
| Elon | cap.12.11. | decem. |
| Abdon | cap.12.14. | octo, |
| Simſon. | cap.15.20. | viginti. |

Hi in ſummam collecti ſuntGubernationis anni ducenti nonaginta novem qui conjuncti cum annis centum undecim afflictionis conficerent annos quadringentos decem. Verum ut dixi, anni illi ab iſtis diſcernendi ſunt. Nam ſolos ducentos nonaginta novem annos gubernationis in computum Chronologiæ venire oportere, annos vero centum undecim afflictionis non item, manifeſta ratio evincit : quia hi anni afflictionis ſuo quique loco in annis Iudicum , alicubi etiam hi in illis incluſi intelliguntur : & ſic aliqui in textu hiſtoriæ bis numerantur, quos ſemel tantum in computi rationem venire convenit. Exempli cauſa, anni viginti Simſonis incluſi ſunt in quadraginta annis afflictionis Paleſtinæ Iud: 13, 2. contra anni octo ſervitutis ſub Syris comprehenſi ſunt in annis quadraginta Othonielis : Anni octodecim ſervitutisMoabiticæ in annis octogintaEhud & Samgaris &c. & ſic de aliis : ut rectè monuerunt in ſuis annotationibus noſtri interpretes, & dextrè expedivit hunc nodum Beroaldus.

Hinc jam patet, numeros in Regum hiſtoria recte conſtare : quandoquidem ſecluſis annis centum undecim ſervitutis populi, anni tantùm ducenti nonaginta novem gubernationis Iudicum in cenſum Chronologicum veniunt.

Patet etiam quomodo in Actis Apoſtolus quadringentos quinquaginta annos Iudicibus tribuat uſque ad Samuelem : Conjungit nimirum cum annis gubernationis etiam annos ſervitutis : & his addit quadraginta annos Heli, qui Samuelem anteceſſit : qui anni ſimul juncti rectè ſunt quadringenti Quinquaginta.Cæterùm non voluiſſe ibi Apoſtolum præciſè Chronologiam texere, indicat particula ὡς, *quaſi* vel *circiter*, cum dicit ὡς τετρακοσίοις ἔτεσι &c. Sic igitur hic nodus commodè diſſolvitur, ut ſectione violenta non ſit opus. Si quis melius aut rectius aliquid monſtraverit, utique gratiam à nobis merebitur.

Cer

Certè qui contra omnium codicum Græcorum, atque etiam Syræ interpretationis authoritatem nodum hunc ſecant, ac pro τετρακοσίοις legendum putant τριακοσίοις rem non expediunt[f], ſed arctiore nodo aſtringunt. Vndecunque enim ſuos 350. annos numerent uſque ad Samuelem prophetam, in quo Apoſtolus numerum ſuum expreſsè terminat excluſivè ver. 20. & 21: plures ſemper annos reperiunt. Si à gubernatione Ioſuæ (nam annos 40. peregrinationis Paulus ipſe excludit ver. 18) habent annos non trecentos quinquaginta, ſed 400. ſexaginta ſeptem. Sic à primo Iudice Othoniele poſt diſtributionē terræ (quod faciendum eſſe particula μετὰ ταῦτα verſ. 20. oſtendit) reperiunt annos non trecentos quinquaginta, ſed præcisè juxta numerum Apoſtoli quadringentos qninquaginta: id quod profectò numerum corruptum non eſſe ſatis evincit.

*Quartus articulus* de annis quadraginta Heli conſtat ex 1. Sam. 4. 18. ubi dicitur de Heli mortuo ex lapſu: Iudicaverat Iſraëlem quadraginta annis.

*Quintus* de quadraginta annis Samuelis & Saulis, expreſsè quidem non definitur in Samuelis hiſtoria: indicatur verò loco prædicto Act. 13. 21. ubi quin Samuelis gubernationem & Saulis imperium Apoſtolus conjungat in annis quadraginta, non videtur dubitandum. Nam ab Heli morte ad Davidis regnum non ſunt niſi quadraginta anni teſte Apoſtolo. Diu autem Samuel una cum Saule præfuit populo. Plerique qui de temporibus ſcripſerunt, referente Severo, Saulem triginta annos regnaſſe annotaverunt: cui opinioni ipſe nequaquam accedit: cenſet vero parvo admodum ſpacio eum tenuiſſe imperium. Quidam ſoli Sauli vix annum unum, alii duos poſt mortem Samuelis tribuunt. Ioſephus, *Regnavit*, inquit, *vivente Samuele annis decem & octo, & poſt mortem ejus viginti.* Poſterior numerus corruptus videtur viginti pro decem. Nam idem Ioſephus libro eodem cap. 14. dicit Samuelem poſt Elis obitum præfuiſſe populo ſolum annis duodecim & Saule regnante annis decem & octo. Reſtant anni decem de quadraginta, quos Samueli & Sauli conjunctim tribuit Apoſtolus Act. 13.

*Sulpit. Sev. lib. I. Chronolog.*

*l. 6. c. ultima Antiq.*

Articulus ſextus de quadraginta annis regni Davidis caret ſcrupulo. Expreſsè enim dicitur 2. Sam. 5. 4. Filius triginta annorum erat David quando regnavit, & quadraginta annis regnavit.

Articulus poſtremus conſtat ex 1. Reg. 6. 1. ubi dicitur: Anno quadringenteſimo octogeſimo, poſtquam egreſſi erant filij Iſraël è terra AEgypti anno quarto, menſe Aprili (ipſe eſt menſis ſecundus, quo regnare cœpit Selomoh ſuper Iſraëlem) ædificavit domum Iehovæ. Quartus igitur annus Selomoh non quidem abſolutus ſed inchoatus & currens accenſetur annis quadringentis octoginta ab exitu: & ita conſtat hoc totum curriculum.

Nunc ſingulos articulos, ut prius, ad annos mundi componamus.

| | |
|---|---|
| Egreſſus igitur populi ex AEgypto incurrit in annum mundi | 2524 |
| Obitus Moſis in deſerto | 2563 |
| Mors Ioſuæ in Cananæa | 2580 |
| Mors Othonielis | 2620 |
| Obitus Ehud | 2700 |
| Obitus Barac | 2740 |
| Obitus Gideonis | 2780 |
| Obitus Abimelechi | 2783 |
| Obitus Tholæ | 2806 |
| Obitus Iare | 2828 |
| Obitus Iephtæ | 2834 |
| Obitus Abeſæ | 2841 |
| Obitus Elonis | 2851 |
| Obitus Adonis | 2859 |
| Obitus Simſonis | 2879 |
| Mors Heli | 2919 |
| Saulis tragicus exitus | 2959 |
| Davidis Obitus | 2999 |
| Denique templi fundatio | 3003. |

Vide Tabulam Curriculi IV. D.

CAPVT

# Caput VII.

*Computus quinti curriculi annorum 401 à templo fundato uſque ad captivitatem Babylonicam demonſtratur,*

QVINTVM INTERVALLVM numeratur, à fundatione templi Salomonici, uſque ad captivitatem Babylonicam Iechoniæ, ne divellantur anni Septuaginta captivitatis: quos non à deportatione prima h. e, à quarto anno Iojakimi, ut cenſet noſter Beroaldus, nec à deportatione tertia, h. e, ab everſione templi & urbis, ut fert communis opinio, ſed à deportatione Iechoniæ, quæ fuit media & maxima captivitas, inchoandos eſſe ſequenti capite docebitur. Id porrò intervallum à templo fundato ad captum Iechoniam annorum eſt quadringentorum & unius. Sed dici vix poteſt, quantum hîc Chronologi varient.

| A.m. Condito ad eversã. Politiam Iudæor. | | Euſebius habet annos | 431 |
|---|---|---|---|
| | | Lucidus | 417 |
| Funccius | 3356 | Funccius | 411 |
| Buntingus | 3362 | Mercator | 416 |
| Buchertz | 3365 | Car. Bovillus | 419 |
| Codomannus | 3534 | Contius | 422 |
| Calviſius | 3360 | Beroaldus | 415. |

Clemens Alexand. Strom 1. dicit Hieroſolymam everſam anno 2. Olymp. 47.

Quæ varietas inde adeo accidit quod hiſtoria ſacra annos regum Iudæ, unde hæc ſeries annorum petenda eſt, diligenter quidem annotat: Sed nuſquam eos ad certam ſummam recolligit. Annos etiam regum Iudæ & regum Iſraëlis ubique quidem inter ſe confert: ex ea vero collatione non leves paſſim enaſcantur ſcrupuli, quibus expediendis aliæ ab aliis rationes inveniuntur., de quibus Funccius lib. 1. Chronologiæ conſulatur, nemo tamen judicio meo dexterius quam Beroaldus noſter nodos pleroſque diſſolvit, & conciliationem oſtendit: Chron. lib. 3. cap. 5.

Difficultas omnis naſcitur ex defectu Chronici regum Iſraëliticorum, cujus quidem in libris Melachim, quos habemus, crebra fit mentio, ipſum verò in everſione regnorum haud dubie intercidit: & à nobis deſideratur: quod ſi ſpiritui ſancto viſum fuiſſet Eccleſiæ aſſervare, nodorum Chronologicorum, qui paſſim nunc apparent, expeditam explicationem haberemus: fuerunt enim in regno Iſraëlitico, quod à prima defectione Ieroboami uſque ad captivitatem Hoſeæ ultimi regis duraſſe colligitur annis ad ſummùm ducentis quadraginta novem, mutationes admodum tragicæ & frequentes: nec rarò accidit, ut tyrannis mutuas in ſe lanienas exercentibus, regnum à nullo certo rege adminiſtraretur, quæ intervalla Chronicon Iſraëliticum, ſi exſtaret, certius nobis indicaret. Interim quantum de exorto ſtatu, & interitu ſchiſmatici illius regni ſcire noſtra intererat, ſatis quidem in libris Melachim habemus. In Chronologica verò annotatione Deus exercere voluit noſtram diligentiam, quæ proinde aliquanto major hic quam in præcedentibus intervallis requiritur. Inſtituendus verò eſt computus curriculi iſtius hoc modo.

Si annos regum Iuda à fundato templo uſque ad captum Iechoniam ſimpliciter, nulla collationis eorum cum regibus Iſraëlis ratione habita, in ſummam colligamus ex hiſtoria, reperiuntur anni quadringenti octodecim, menſes ſex: ſeptemdecim nempe cum ſemiſſe plures quam noſter fert computus: Plures etiam vel pauciores omnes ferè Chronologi annotant.

| | | |
|---|---|---|
| Nam Salomon poſt fundatum templum | 1. Reg. 11. 41. annos | regnavit 36 |
| Roboam | 1. Reg. 14 21 | 17 |
| Abiam | 1 Reg. 15. 2 | 3 |
| Aſa | 1 Reg. 15. 10 | 41 |
| Ioſaphat | 1 Reg. 22. 42 | 25 |
| Ioram | 2 Reg. 8. 17 | 8 |
| Ahaſias | 2 Reg. 8. 26 | 1 |

Athalia

| | | | |
|---|---|---|---|
| Athalia | 2 Reg. 11. 3 | | 6 |
| Ioas | 2 Reg. 12. 2 | | 40 |
| Amaſias | 2 Reg. 14. 2 | | 29 |
| Vſias ſeu Azarias | 2 Reg. 15. 2 | | 52 |
| Iotham | Ibidem. v.33 | | 16 |
| Achas | 2 Reg. 16. 2 | | 16 |
| Hizkias | 2 Reg. 18, 2 | | 29 |
| Manaſſe | 2 Reg. 21. 1 | | 55 |
| Amon | Ibidem. v.10 | | 2 |
| Ioſias | 2 Reg. 22. 1 | | 31 |
| Ioachas | 2 Reg. 23. 31 | menſes | 3 |
| Iojakim | 2 Reg. 23. 36 | | 11 |
| Iechonias | 2 Reg. 24. 8 | menſes | 3. |

Hi anni collecti ſunt quadringenti octodecim cum menſibus ſex ſed numerum hunc eſſe juſto majorem, oſtendit diligens collatio annorum utriuſque regni. Ex ea enim fit evidens, ſæpe ultimos regum annos non fuiſſe completos, ſed vix inchoatos, & ſic ultimum præcedentis regis fuiſſe primum ſequentis, quam regulam & Funccius diligenter obſervandam monuit, & noſtri interpretes annotarunt his verbis: *In regibus Iſraëlis obſervandum, nos ex numero, qui in iſtis ſingulis ſcripturæ locis habetur, ultimum cujuſque detrahere: quia idem eſt ſucceſſoris primus.* Id verò multo crebrius in annis regum Iuda, quàm regum Iſraëlis uſu venit. Sæpè etiam annus, vel duo, vel tres, vel quatuor anni primi regis ſuccedentis deprehenduntur fuiſſe iidem cum totidem annis poſtremis prodeceſſoris: Quoniam interdum accidit, ut pater vel bello externo occupatus, vel ſenio confectus, aut morbo correptus, ut imperio præeſſe non poſſet, filium regem ſeu regni ſocium deſignaret: ita ut iidem tunc anni patris ſimul & filij regno aſſcripti legantur, cujus obſervationes exempla præcipua in annis Ioſaphati, & Iorami, Ioas & Amaſiæ, Ahas & Hizkiæ notabiliter occurrunt: Aliquando & alias contractionis cauſas, ſuppeditat diligens hiſtoriæ collatio. Hæc ergo deinceps per ſingulos articulos breviter oſtendam.

1. SALO-

1. SALOMON regnavit annis quadraginta 1. Reg. 11. 42. Templum verò fundare cœpit anno regni quarto, qui cum fuerit ab exitu Iſraëlitarum quadringenteſimus octogeſimus 1. Reg: 6. 1. curriculo præcedenti neceſſariò tribuendus fuit, ut prius oſtendimus. Ita principium hujus intervalli eſt annus quintus Salomonis, Cohærens cum anno mundi 3004. Reſtant igitur in regno Salomonis anni triginta ſex, qui huic curriculo debentur.

2. ROBOAM ſtolidus rex, à patris obitu amiſſa potiore regni parte in tribu Iuda regnavit annis Septemdecim. 1. Reg. 14. 21. Nam primo ſtatim anno ſchiſmate regni facto Roboam & Ieroboam pariter regnarunt, ille in regno Iuda, iſte in regno decem tribuum, quod dicebatur regnum Iſraël. Deſiit autem Roboam regnare anno decimo ſeptimo Ieroboami: quia Abiam filius ei ſucceſſit anno decimo octavo Ieroboami ineunte. 1. Reg. 15. 1.

3. ABIAM regnum tenuit annis tribus: ut eſt. 1. Reg. 15. 2.

4. ASA filius Abiam regnaſſe ſcribitur annis quadraginta & uno: 1. Reg. 15. 10. Sed primus Aſæ annus fuit idem cum tertio Abiæ. Tertius enim Abiæ reſpondet viceſimo Ieroboami regis Iſraëlis, quo & Aſa regnare cœpit, ut eſt 1. Reg. 15. 9. Sic annus emortualis Abiæ, fuit idem inauguralis Aſæ, & bis venit in cenſum. Tantum igitur quadraginta anni, quantum ad computum Chronologicum, imperio Aſæ debentur.

5. IOSAPHAT boni patris optimus filius regnavit annis viginti quinque: ut eſt 1. Reg. 22. 42. Sed & hujus annus primus cum ultimo patris idem fuit. Dicitur enim regnum adiiſſe anno quarto Achabi regis Iſraëlis, quem cum anno quadrageſimo primo Aſæ cohærere collatio regnorum oſtendit. Achab enim cœpit regnare anno Aſæ trigeſimo octavo 1. Reg. 16. 39. Ita quartus Achabi fuit ultimus Aſæ. Demto igitur anno primo qui idem fuit Aſæ emortualis, Ioſaphato relinquuntur viginti quatuor.

6. IORAM filius Ioſaphati regnaſſe dicitur annis octo: 2. Reg. 8. 17. Sed vix quatuor annis regnaſſe

ſoſum

ſolum poſt patris obitum, collatio regnorum oſtendit. Ioram enim rex Iudæ regnare cœpiſſe dicitur anno quinto Ioram Iſraëlitæ: 2. Reg. 8. 16. Quintus verò annus Ioram Iſraëlitæ fuit viceſimus ſecundus Ioſaphati. Vnde colligitur Ioſaphatum ſenio confectum Ioramum primogenitum ſibi in regno ſocium aſciviſſe, ſicque filium ſimul cum patre quadriennio primo regnaſſe. Mortuo verò patre Ioram ſolus regnavit annis tantùm quatuor: qui in computum veniunt. Idem non obſcurè innuit hiſtoria cum dicit: *Anno autem quinto* 2. Reg. 8. 17. *Ioramifilij Achabi, regis Iſraëlis, cum Ioſaphat etiam rex Iuda, regnare cœpit Ioram filius Ioſaphati rex Iudæ.* Indicat enim filium factum fuiſſe regem Iudæ patre adhuc ſuperſtite. Proinde quod ibi ſequitur: *Natus triginta duos annos erat Ioram cum regnare inciperet, & octo annis regnavit in Ieruſalaim*; ſic intelligatur: *Cum regnare inciperet*, nempe cum patre ſuperſtite Ioſaphato, poſtquam pater jam regnaſſet annis 22: *Et regnavit octo annis*, nempe quatuor cum patre ſuperſtite, quatuor ſolus à patris obitu.

7. AHASIAS filius Ioram regnaſſe ſcribitur in Ieruſalaim anno uno: 2. Reg. 8. 26. Hic verò annus computum Chronologicum planè non ingreditur. Ahaſias enim à Ioram patre anno regni ejus ſeptimo exeunte, & octavo ineunte conſors regni fuit aſſcitus: quod evidenter colligitur ex eo, quia dicitur regnaſſe anno undecimo & duodecimo Ioram filii Achab, 2. Reg. 9. 29. & 2. Reg. 8. 25, qui duo anni Iorami Iſraëlitæ duobus poſtremis annis Iorami regis Iudæ reſpondent, ut comparatio regnorum oſtendit. Regnavit igitur Ahaſias annum unum partim cum patre ſuperſtite, partim poſt patrem aliquot menſibus, ſed qui ipſi quoque ad octavum patris annum complendum pertinebant.

8. Interfecto Ahaſia à Iehu regnum per vim tenuit ATHALIA mater Ahaſiæ mala beſtia annis completis ſex à primo anno Iehu uſque ad initium anni ſeptimi: ut habetur 1. Reg. 11. v. 3. 4.

9. IOAS filius Ahaſiæ poſt trucidatam Athaliam regnavit annis cõpletis quadraginta: ut eſt 2. Reg. 12. 1.

10. AMA-

10. AMASIAS poſt patrem Ioas regnaſſe dicitur annis viginti novem. 2. Reg. 14. 2. Sed ex his viginti novem demendos eſſe tres, rurſus ex comparatione regnorum patet. Cœpit enim Amaſias regnare anno ſecundo Ioas Iſraëlitæ. 2. Reg. 14. 1. Is verò annus concurrit cum trigeſimo octavo anno Ioas patris Amaſiæ. Ergo primus, ſecundus & tertius annus Amaſiæ fuit idem cum 38. 39. & 40. anno patris: proinde regno Amaſiæ decedunt, ne bis in computum veniant: quia indicio ſunt filium cum patre triennium primum regnaſſe, quacunque id cauſa factum fuerit.

11. VSIAS qui & ASARIAS regnavit annis quinquaginta duobus. 2. Reg. 15. 2. In his annis magna eſt difficultas, Nonnulli poſt cædem Amaſiæ ante quinquaginta duos annos Vſiæ ponunt inter regnum undecim annorũ: ea moti ratione, quod Vſias cæſo patre fuit puer quinquennis: primus autem regni ejus annus dicitur incidere in annum viceſimum ſeptimum Ieroboami Iſraëlitæ, qui eſt duodecimus à cæde Amaziæ. 2 Reg. 15. 1.

Verùm qui hîc in regno Iudæ hiatum faciunt, coguntur in regnó Iſraëlis poſt obitum Ieroboami ante Zachariam ejus filium hiatum ſtatuere longè majorem, viginti nempe duorum annorum, qui nulla ratione aut ſpecie defendi poteſt: cum Zacharias filius Ieroboamo patri mortuo illico ſucceſſiſſe in regno 2. Reg. 14. 29. & regnum tenuiſſe tantùm ſex menſibus dicatur atq; nullo modo eſt probabile, regnum tamdiu rege caruiſſe, nec fuiſſe infeſtatum à Sallum, qui mox ſexto Zachariæ menſe, interfecto eo, illud ad ſe rapuit. Adde quod regnum in familia Iehu quatuor generationibus fuit definitum oraculo 2. Reg. 10. 30. Zacharias autem fuit quartus poſt Iehu. Non videtur igitur inter regnum tam diuturnum quaſi juſtum ſpacium alicujus quinti regis interveniſſe. Sed & nulla cauſa facilè excogitari poteſt, cur Zacharias totos viginti duos annos à regno patrio per proceres arceri debuerit. Interim non diſſiteor undecunq; anni Vſiæ inchoentur, hiatum aliquot ſaltem annorum inter Ieroboami & Zachariæ regnum intervenire: de quo quod veriſimiliter dicam non habeo. Deeſt hîc nobis Chronicon Iſraëliticum. Hoc ſaltem dico, minus

nus

nus abſonum videri, hiatum undecim, quàm viginti duorum annorum in regno Iſraëlitico ante Zachariam & ſic nullum in regno Iudaïco relinquere.

Potius itaq; accedo hîc Lucido, Funccio, Candido & aliis, qui annos undecim interregni Iudaici computant cum annis 52. Vſiæ, ita ut rege puero proceres regnum adminiſtraſſe credantur uſq; ad annũ Regis adoleſcentis decimum ſextum: quo completo Vſias dicitur rex conſtitutus à populo & regnaſſe annos 52. computatis nempe unà undecim illis annis, quibus ejus nomine proceres regnum adminiſtra verant: 2. Reg. 15. 2. & 2. Chron. 26. v. 1. 3.

At hoc pacto, inquis, primus Vſiæ annus incidet in decimum ſextum Ieroboami, non vero in hujus viceſimum ſeptimum, quod tamen expreſsè dicitur 2. Reg. 15. 1. Aſſcribam de hoc nodo judicium Mercatoris, qui ſic inquit: *Cum Azarias ex morte patris hîc determinatum initium regni habeat, non poteſt illud ad 27. annum regni Ieroboam elongari. Quare non de anno regni Ieroboam intelligendus eſt numerus, ſed de anno vitæ: Aut ſi hoc inſolitũ habeatur, vult Scriptura innuere, undecim annos tutelæ: ut viceſimo ſeptimo Ieroboami anno demum Azaria proprio marte regnum adminiſtrarit: quod à textu 2. Paral. 26. 5, non eſt alienum. Alioqui ſi admitti poſſit hic in 27 mendum eſſe ſcribarum & ſubſtituendum 17: nulla tum eſſet difficultas. Etenim 17 anni initij Azariæ, & 38 initij Zachariæ regis Iſraël. 55. efficiunt, in quot annos initium Zachariæ ab initio Ieroboam extenditur, connumerando annos non regni, ſed in quibus regnatum eſt, h. e, connumerando annum civilem 189, in quo cœpit Ieroboam & 243, in quo cœpit Zacharias.* Hactenus Mercator: cujus etſi conjectura poſterior nodum breviſſime expedit quia tamen ad menda Scripturæ ſacræ temerè veniendum non eſt, magis probo ſententiam mediam de annis 11. tutelæ, in annis 52. Vziæ comprehenſis qui ſic in regno Iſraëlitico minor relinquitur hiatus. Nodus autem qui putatur eſſe nullo negocio ſolvitur. Nam & decimo ſexto anno Ieroboami Vzias regnum adiit, in ſuis tutoribus: & demum viceſimo Ieroboami, in propria perſona. Vziæ itaque regno debentur anni integri 52.

12. IOTHAM

12. IOTHAM uziæ filius regnum vicario nomine adminiſtravit, ex quo pater fuerat Lepra percuſſus, ut habetur 2. Reg. 15. 5. 2. Paral. 26. 21. Videtur autem Vſias plaga fuiſſe affectus circa annum Regni ſui 36. vel paulo poſt. Nam Iotham, defuncto patre, habuit tantum annos 25. ut eſt 2. Reg. 15. 33. & 2. Par. 27. 1. At cum fieret patris vicarius in regno haud dubie minimum fuit adoleſcens 16. vel 18. annorum. Poſt patris obitum rex demum creatus regnavit annis ſedecim, inde à ſecundo anno Pekæ Iſraëlitæ 2. Reg. 15. 33. uſque ad ejuſdem annum decimum ſeptimum, quo filius Ahas ei ſucceſſit 2. Reg. 16. 1. Sedecim igitur anni huic debentur.

13. AHAS rex degener præfuiſſe regno dicitur annis ſedecim. 2. Reg. 16. 1. Sed primus ejus annus in extremum annum patris incurrit. Vterque enim ille annus reſpondet anno decimo ſeptimo Pekæ Iſraëlitæ, ut ex comparatione regnorum liquet. Sic regno Ahas tantum quindecim anni relinquuntur.

14. HISKIAS impii patris optimus filius regnaſſe dicitur annis viginti novem. 2. Reg. 18. 2. Sed ex his etiam demendi ſunt tres primi, ne bis in computum veniant: quoniam tribus primis annis Hizkias regnaſſe cum Ahas patre ſive ægro, ſive alia cauſa ad regnandum impote, ex eo cognoſcitur, quod Hizkias dicitur cœpiſſe regnare tertio anno Hoſeæ Iſraëlitæ. 2. Reg. 18. 1. Tertius verò annus Hoſeæ cum decimo quarto anno Ahas cohæret. Hizkias igitur ſolus poſt patrem regnavit annis non amplius viginti ſex. Nec obſtat quod quartus annus Hizkiæ dicitur fuiſſe ſeptimus Hoſeæ. 2. Reg. 18. 9. Intelligendus enim eſt quartus non currens, ſed deſinens.

15. MANASSES boni patris degener filius regnavit annis quinquaginta quinque, quibus primum demo, quia idem fuit patri emortualis. 2. Reg. 21. 1. Relinquantur igitur Manaſſi quinquaginta quatuor.

16. AMON poſt Manaſſen regnum tenuit duobus annis ſed altero nondum completo à conjuratis fuit trucidatus 2. Reg. 21, 19,

17. IOSIAS patri peremto eodem anno ſucceſſit, ac

ac regnaſſe dicitur annis triginta & uno, 2. Reg. 22. 1. Sed primus, cum fuerit idem patris ultimus, in computum nō venit. Sic triginta anni integri fuerunt Ioſiæ.

18. IOAHAS patre Ioſia defuncto regnavit tribus menſibus 2. Reg. 23. 31: qui in cenſum nullum veniunt, ſed in patris ultimum annum incompletum conferuntur.

19. IOIAKIM fratri Ioahas à Nechone AEgyptio ſubſtitutus in regno, id tenuiſſe dicitur annis undecim. 2. Reg. 23. 36. Revera autem tantum decem completos regnaſſe ex ætate Iechoniæ colligitur. Cum enim Iojakim pater regnare inciperet Iechonias filius habebat annos octo 2. Paral. 36. 9. cum verò Iechonias patri interempto poſtea ſuccederet, erat annorum octodecim. 2. Reg. 24. 8. Ergo Iojakim regnum tenuerat annis decem completis. Aliter conciliari non poſſunt duo loca, quorum uno dicitur octo, altero octodecim annorum fuiſſe Iechonias, cum regnare inciperet. Quomodo enim conjuges ejus dicantur cum eo deportatæ Babylonem, ſi tunc fuit octennis puer. 2. Reg. 24. 25? Primus itaque Iojakimi annus cum ultimo Ioſiæ patris idem fuit.

20. IECHONIAS à Babyloniis patri ſubſtitutus, ab iiſdem tertio regni menſe in captivitatem cum univerſo penè populo abductus eſt: hi etiam tres menſes cum ad primum Zidkiæ annum pertineant, in computum non veniunt.

Colligantur jam omnes hi anni, & erunt 401, ut ex computo ſequenti apparet.

| | | |
|---|---|---|
| Salomon poſt fundatum templum regnavit annis | | 36. |
| Roboam | 1. Reg. 14. 21. | 17. |
| Abias | 1. Reg. 15. 2. | 3. |
| Aſa | 1. Reg. 15. 10. | 40. |
| Ioſaphat | 1. Reg. 22. 42. | 24. |
| Ioram | 2. Reg. 8. 16. | 4. |
| Ahaſias | 2. Reg. 8. 26. | 0. |
| Athalia | 2. Reg. 11. 4. | 6. |
| Ioas | 2. Reg. 12. 2. | 40. |
| Amaſias | 2. Reg. 14. 2. | 26. |
| Vſias ſeu Azarias | 2. Reg. 15. 2. | 52. |

| | | |
|---|---|---|
| Iotham | 2. Reg. 15. 22. | 16. |
| Ahas | 2. Reg. 16. 2. | 15. |
| Hizkias | 2. Reg. 18. 2. | 26. |
| Manaſſes | 2. Reg. 21. 1. | 54. |
| Amon | Ibid. 16. | 2. |
| Ioſias | 2. Reg. 22. 1. | 30. |
| Ioahas | 2. Reg. 23. 31. | o m. 3. |
| Iojakim | 2. Reg. 24. 1. | 10. |
| Iechonias | 2. Reg. 23. 10. | o m. 3. |
| | Summa anni 401. | |

Sic igitur totum hoc intervallum eſt expeditum.

Quoniam verò in quintum hoc intervallum abſque controverſia incurrunt tres inſigniores Epochæ, Olympiadum, Vrbis conditæ, Nabonaſſari: obiter etiam ubi & in cujus regis quoto anno initia eorum figenda ſint monſtrandum eſt.

Ac *Primum* quantum ad OLYMPIADAS, conſtat Chriſtum Servatorem paſſum ac mortuum eſſe Olympiadis 202. anno quarto, h. e, anno Olympiadico 808. currente. Sic Lucidus, Funnccius, Mercator, Beroaldus, Chriſtmannus, denique Euſebius in Chronicis, ubi citans Phlegontem egregium Olympiadum Supputatorem ſcribit, anno quarto 202. Olympiadis magnam illam & excellentem Solis defectionem factam eſſe, quæ in paſſione Domini contigit: quanquam Scaliger errore ſive Euſebii ſive Phlegontis ſcriptum ſic velit, pro anno primo Olympiadis 203. currente, quam cenſuram in medio relinquo. Is porrò annus cum reſpondeat anno Mundi 3961. juxta Beroaldi & noſtrum computum: certum eſt primum annum primæ Olympiadis incurrere in annum Mundi 3154, qui fuit 21, annus regni Ioas regis Iudæ. A viceſimo igitur primo anno Ioas numerantur deinceps Olympiades.

*Secundo*, quamvis de natali anno urbis ROMAE varient authores, ut ſupra fuit oſtenſum: tamen cum Beroaldo accedo Clementis, Euſebii, Solini Plinii & Dionyſii ſententiæ, quippe quæ, fatente Scaligero, l. 5. p. 214. plurimos aſſertores habet, & in his etiam Funccium ac Mercatorem, urbem condi cœpiſſe anno primo Olympiadis ſeptimæ ſeu anno Olympiadico 25. ineunte.

ineunte. Incidit igitur natalis Romæ in annum Mundi 3178. qui fuit 8. annus Amaziæ regis Iudæ. Hic igitur Epocha urbis conditæ figenda eſt.

*Tertiò*, æra NABONASSARI apud Ptolemæū & Cenſorinum celebratiſſima communiter refertur ad annum 2 Olympiadis Octavæ ſeu ad 30. Olympiadicum labentē. Anni igitur Nabonaſſari figuntur in anno Mundi 3183. anno Vrbis conditæ ſexto: Amaziæ regis Iudæ anno 13.

Nunc quia ad CHRISTI tēpora proprius accedimus, Regum hiſtoriam ſeu articuloshujusCurriculi non ſolùm ad annosMundi, ſed etiam ad annos ante Chriſtum natum accommodemus.

| | *Anno Mundi.* | *Ante Ch. natum.* |
|---|---|---|
| Salomon igitur templum fundavit. | 3003 | 925 |
| Roboam regnare incipit, | 3040 | 888 |
| Abiam. | 3057 | 871 |
| Aſa. | 3059 | 869 |
| Ioſaphat. | 3099 | 829 |
| Ioram. | 3120 | 808 |
| Ahaſias. | 3127 | 801 |
| Athalia. | 3128 | 800 |
| Ioas. | 3134 | 794 |
| OLYMPIADVM initium anno 21. Ioas. A. M. | 3154 | 774 |
| Amaſias. | 3171 | 757 |
| Roma condita anno 8. Amaſiæ. A. M. | 3178 | 750 |
| NABONASSARI ęra ab anno 13. Amaſiæ A.M. | 3183 | 745 |
| Vſias, ſeu Azarias. | 3200 | 729 |
| Iotham. | 3252 | 678 |
| Ahas. | 3267 | 663 |
| Hizkias. | 3280 | 650 |
| Manaſſe. | 3309 | 621 |
| Amon. | 3363 | 567 |
| Ioſias. | 3364 | 566 |
| Ioachas. | 3394 | 536 |
| Iojakim. | 3395 | 535 |
| Iechonias. | 3404 | 526 |

Sequitur Sextum Intervallum.

 CAPVT

# CAPUT VIII.

## *Sexti intervalli, quod eſt ſeptuaginta annorum captivitatis Babylonicæ explicatio.*

SExtum intervallum à deportatione Iechoniæ uſque ad ſolutam captivitatem, ut reliquis eſt brevius, ita & expeditius: quandoquidem ipſe Spir: Sanctus Septuaginta annorum Spatio id paſſim definivit, videlicet: 2 Chron. 36. 21. Ierem. 25. 12. & 29. 10. Daniel. 9. 2. Zach. 1. 12. & 7. 5. Tot enim annis duratura erat Iudæorum captivitas in Babylone. Primum verò de terminis à quo & ad quem hujus ſpacii h. e, de principio & fine ſeptuaginta annorum captivitatis, poſtea de ejus articulis aliquid dicendum videtur.

*De Principio LXX annorum captivitatis.* De principio ſeptuaginta annorum captivitatis non eſt una Chronologorum ſententia.

*Chron. l. 3. c. 5.* Sulpitius Severus & Lyra, & quidam Hebræi, quos ſequitur in ſuo Chronico BEROALDVS noſter, principium figunt in anno quarto Iojakim, ſeu in primo anno Nebucadnezaris Magni: indeque captivitatem Babylonicam ordiuntur. *Primùm* quia Ieremias cap. 25. 1, ubi de captivitate LXX. annorum vaticinatur, nominat annum quartum Iojakim, & primum annum Nebucadnezaris quo nempe Nebucadnezar cœſo Nechone AEgyptio Monarchiam conſtituit, & Judæam tributariam fecit. *Ierem. 46. 2.* *Deindè*, quia Matth. 1. 11. dicitur, quod Iojakim genuerit Iechoniam & fratres ejus in deportatione Babylonica: Genuit autem cum quarto regni ſui anno, quia Iechonias dicitur fuiſſe octo annorum cum regnare inciperet. 2. Chron. 36. 9. Verùm, quod pace tantorum virorum dixerim, parùm ſolidæ ſunt hæ rationes.

Nam quantum ad primam, nominatur quidem à Ieremia annus quartus Iojakimi: Verum non, ut principium LXX annorum captivitatis, ſed ut tempus habitæ concionis à propheta, qua regi minatur captivitatem, & terræ deſolationem, non præſentem, ſed futuram,

ſam, ac duraturam LXX. annis: ut videre eſt ibi verſ. 9. 10. 11. 12. *Ecce ego mittam, & aſſumam univerſas cognationes Aquilonis ait Iehova, & NebucadneZar Regem Babel ſervum meum, & adducam eos ad terram ſuam &c.* Id vero non eſt factum anno quarto Iojakim, ſed ſeptimo anno poſt, h. e, undecimo regni ejus. Quarto enim anno Iojakim factam eſſe vel ipſius aut populi aliquam deportationem vel terræ deſolationem, nec ibi nec alibi legitur. Conſtat verò ex capite 36. Ieremiæ, Iojakim anno quarto & quinto pacatè regnaſſe. Nam quarto anno clauſum tenuit Ieremiam in carcere: anno quinto menſe nono librum prophetæ cultello ſcriptorio conſciſſum igni combuſſit. Dicitur autem 2. Reg. 24. 1. tributarius Nebucadnezaris fuiſſe tribus annis, poſtea converſus rebellaſſe contra eum. Vnde colligitur non quarto ſed octavo demum regni anno à Nebucadnezare ſubjugatum fuiſſe Iojakim: id quod Ioſephus etiam rectè confirmat lib. 10. cap. 7. Antiq. Cum verò poſt triennium rebellaret, catenis duplicibus vinctus fuit, ut abduceretur in Babel: ſicut dicitur 2. Paral. 36. 5. Mox tamen juſſu Nabucadnezaris in vinculis necatus eſt, & extra mœnia abjectus inſtar aſini jacuit inhumatus, juxta oraculum Ierem. 22. 19.

Quod proinde Dan. 1. 1. ſcribitur. *Anno tertio regni Iojakim Regis Iuda venit NebucadneZar rex Babel Ieruſalaim & obſedit eam: Deditque dominus in manum ejus ipſum Iojakim regem Iuda, & partem vaſorum domus Dei &c.* non de tertio anno, ex quo regnare cœperat Iojakim, ſed de tertio anno ex quo tributarius fuerat Nebucadnezaris, intelligi oportet. Is verò erat undecimus Iojakim, inchoatus: Alioqui certè vel bis fuiſſet abductus à Nebucadnezare, ſemel anno tertio aut quarto, rurſus anno undecimo, quod nec legitur uſquam nec cum narratione Ierem. 36. v. 1. & 9 conſiſtere poteſt vel non tribus tantum, ſed octo annis tributarius Nebucadnezaris fuiſſet, quod hiſtoriæ 2. Reg. 24. 1. repugnat. *Locus Dan. 1. 1. illuſtratur*

Altera ratio tantum grammatica eſt & infirma. Dicitur Iojakim genuiſſe Iechoniam non ἐν τῇ μετοικεσίᾳ, ſed ἐπὶ τῆς μετοικεσίας βαβυλῶνος, hoc eſt, circa vel ſub tempus tranſportationis, non in ipſo exilio, ſed aliquot an-

nis ante: Nam Iechonias annorum erat octodecim cum patri interempto ſubſtitueretur, 2. Reg. 24. 8. octo verò annorum cum pater regnare inciperet 2. Paral. 36. 9. Sic enim concilianda eſſe duo loca in ſpeciem pugnantia prius oſtendi. Alioqui certe tranſportationem Babylonicam non 3 aut 4 anno, Iojakim, Sed aliquanto ante cœpiſſe oportet, ut Iechonias in ea deportatione naſceretur. Adde quod Iojakim non dicitur genuiſſe Iechoniam ſolum ſed Iechoniam & fratres ejus ſub deportationem Babylonicam: quia fratres Iechoniæ partim adoleſcentes partim pueri erant in deportatione, cum Iechonias jam eſſet adultus ann. octodecim.

Fuerunt etiam qui captivitatem Babylonicam inchoarent à XIII. anno Ioſiæ regis Iudæ, quando Ieremias docere cœpit, ut eſt Ierem. 1. 2. & 25. 3, hoc eſt, viginti tribus annis ante quartum Iojakim, ut refert Euſebius in Chronico: Sed nulla etiam eo anno legitur facta populi demigratio aut captivitas. Inde igitur LXX. anni captivitatis inchoari non poſſunt. Neque tempus monarchię Babylonicę id patitur: cui hac ratione à templo everſo, quod contigit anno Nebucadnezaris XIX. uſque ad Cyrum vix relinquerentur XXX. anni.

Alii porrò ordiuntur captivitatis annos ab everſione templi, & ultima deportatione Zidkiæ regis Iuda. Hæc ferè communior eſt ſententia: quia terræ deſolatio dicitur duratura LXX. annis: quæ videtur cœpiſſe poſt templum everſum. Etſi autem tunc ſecuta eſt terræ extrema vaſtitas & quies ſicut ſcribitur 2. Chron. 36. 21. tamen deſolatio verè non tunc demum cœpit, ſed annis undecim ante jam cœperat, in univerſali deportatione populi cum Iechonia, ut mox oſtendam.

*Sic & Genebrardus pag. 350.*

Alii itaque principium LXX. annorum captivitatis figunt in illa deportatione Iechoniæ intermedia, quæ primam menſibus tribus eſt inſecuta, ultimam vero annis undecim anteceſſit atque in ſeptimum Nebucadnezaris annum completum, octavum vero ineuntem incidit. 2. Reg. 24. 12. Quorum ego ſententiæ & Clementi etiam Alexandrino lib. 1. Strom. approbatæ tanquā ſoliddiſſimæ, ſubſcribo, propheticis authoritatibus inductus.

Prima authoritas eſt Ieremiæ Prophetæ cap. 29. 10, ubi

ubi ſcripta & miſſa ad Iechoniam regem & ad populum captivum in Babylone Epiſtolâ, Dei nomine, primum eos hortatur,ut deponant vanam ſpem de reditu ex Babylone in patriam poſt biennium qua Hananias Pſeudo propheta eos lactabat, ſeque ad diu ibi manendum & habitandum,ædificando domos,plantando hortos &c, componant. Deinde verò poſt completos LXX. annos liberationem eis promittit: *Sic dixit Iehova: ut impletè fuerint in Babel ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum ut reducam nos ad locum illum.* His verbis clarè indicat propheta, quod Iechonia & ſociis in captivitate tunc exiſtentibus jam currebant anni LXX, captivitatis: quia dicit: *Ubi impleti fuerint:* Ergo tunc erant inchoati:& jam labebatur annus quartus: reſtabant ſexaginta ſex. Nam miſſa fuit ea epiſtola per legatos Zidkiæ anno ejus quarto, ſicut ex cap. 28. 1. & cap. 50. 59. conſtat. Non poſſunt igitur anni ſeptuaginta demum à templi & urbis deletione undecim annis poſt inchorari: Alioqui captivis illis non poſt LXX. demum ſed poſt LXVI. annos promittenda fuiſſet liberatio.

Altera authoritas eſt Ezechielis prophetæ, qui idem expreſſius teſtatur cap. 40. 1. ubi decimum quartum annum ab everſa urbe dicit fuiſſe viceſimum quintum annum captivitatis Babylonicæ: *Viceſimo quinto anno tranſmigrationis noſtræ, in exordio anni decima menſis, decimo quarto anno, poſtquam percuſſa fuit urbs, in hac ipſa die, fuit ſuper me manus Iehovæ, & adduxit me illuc &c.* Hinc ſane certò certius comprobatur annos LXX, captivitatis Babylonicæ non demum à templo everſo cœpiſſe, ſed initium eorum undecim annis anticipari, proinde in Iechoniæ deportationem incidere. 10

Neque infringitur hoc argumentum diſtinctione tranſmigrationis Ezechielis & captivitatis Babylonicæ, quaſi Ezechiel tantum loquatur de tranſmigratione ſua non de captivitate totius populi. Dicit tranſmigrationis noſtræ non igitur loquitur tantum de ſua. Præterea tranſmigratio Ezechielis Prophetæ & Iechoniæ regis fuit una: quod indicatur Ezech. 1. 2.

At Iechoniæ tranſmigratio fuit principium captivitatis Babylonicæ, LXX annos duraturæ. Iechoniæ enim & ſociis captivis, completis LXX annis promiſſa erat liberatio, ut ex Ierem. 29.10. jam eſt demonſtratum. Ergo etiam tranſmigratio Ezechielis principium captivitatis Babylonicæ LXX, annos duraturæ neceſſariò conſtituitur.

III. Accedit tertiò, quod deportatio illa Iechoniæ reliquis multò fuit ſolennior atque univerſalior. Quatuor namque poſt obitum Ioſiæ factæ leguntur deportationes regum Iuda & populi: una in AEgyptum, quando PharaoNecho, Sallum ſive Ioaham filium Ioſiæ tertio regni menſe captivum abduxit, impoſito terræ gravi tributo: 2. Reg. 23. 33. Ierem. 22. 11. Tres in Babylonem, à Nabucadnezare. Prima fuit undecimo anno Iojakim, ſeu tertio, ex quo fuerat tributarius. In hac Daniel Propheta cum ſociis & aliqua parte procerum ac populi deportatus, & templum vaſis ſpoliatum fuit, rege Iojakim interfecto. 2. Reg. 24. 2. 2. Chron. 36. 6. & Dan. 1. 1. In ultima, quæ fuit undecimo anno Zidkiæ, gravior quidem populi Strages edita, & trucidati plurimi, urbſque cum templo & regno everſa: captivi autem cum rege Zidkia Ieroſolymis abducti leguntur Babylonem tantum octingenti triginta duo, relicta in Iudæa infimæ plebis & pauperum turba quadam, ſub gubernatione Gedaliæ, quo poſt quadriennium nefariè necato ab Iſmaele, Nebucadnezar inſuper Iudæorum animas 745. ex AEgypto, quò fugerant, Babylonem pertrahi juſſit. Ierem. 52. v. 29, 30. & Ier. 44. 29. At verò in media deportatione cum Iechonia rege & Ezechiele propheta tota Ieroſolyma multaque millia captivorum Babylonem fuerunt deportata. De ea enim ſic ſcribitur. 2. Reg. 24. 14: *Et tranſtulit rex Babylonis totam Ieroſolymam, & univerſos principes, & omnes fortes viribus decem millia captivorum, & omnes artifices ac fabros: nemo relictus eſt præter pauperes populi terræ. Tranſtulit & Iehoiachin in Babel. & matrem ejus, & conjuges regis, & eunuchos ejus, atque fortes terræ abduxit in captivitatem de Ieruſalaim in Babel. Omnes præterea viros roboris, ſeptem millia & fabros*

*lignarios*

*lignarios atque ferrarios mille, omnes robuſtos facientes bellum, abduxit inquam eos rex Babel captivos in Babel &c.* En quoties hîc Spiritus ſanctus captivitatem ingeminet, iteret, exaggeret? Hac deportatione Iudæa flore nobilitatis & viribus omnibus exhauſta eſt. Poſt hanc deportationem etſi rex Zidkias conſtitutus eſt, & regnum utcunque manſit: tamen oppreſſum jacuit ſervitute Babyloniorum, & ſolæ feces ſupererant. Huic itaque deportationi tanquam nobiliori & propè univerſali nomen & principium captivitatis Babylonicæ jure vendicari quis dubitet?

Neque officit huic ſententiæ, quod ex 2. Paral. 36.21. quidam objiciunt, terram cunctis diebus deſolationis quieviſſe, uſque dum complerentur LXX anni. Nam deſolatio terræ cœperat in deportatione Jechoniæ, ut mox dicetur. Et complendi dicuntur LXX anni juxta prædictionem Ieremiæ. At Ieremias prædixerat, à deportatione Iechoniæ LXX annos captivitatis complendos eſſe. Ier. 29.10. Non igitur minuit ſed confirmat is locus ſententiam noſtram. De fine ſeptuaginta annorum captivitatis nulla eſſet quæſtio, niſi aliqui, neſcio unde, (fortè ex Zachariæ loco, de quo poſtea) præter LXX annos captivitatis, alios LXX annos deſolationis ab illis differentes terminis, commenti eſſent, & illos quidem alij in viceſimo anno Cyri, alij in primo anno ejuſdem, Iſtos verò in ſecundo demùm anno Darij Hiſtaſpis terminaſſent, ut refert Euſebius in Chronico. Etſi autem verum eſt, deſolationem longe diutius duraſſe, quàm captivitatem: quandoquidem civitas & templum quadraginta & amplius annis poſt ſolutam captivitatem in deſolatione quadam manſerunt: tamen hiſtoriam ſacram per LXX annos captivitatis & deſolationis eoſdem intelligere certum eſt, quia deſolatio terræ in ſecunda deportatione Babylonica induci cœperat, & hos LXX annos quemadmodum in deportatione Iechoniæ initium habuiſſe oſtendimus: ita in primo anno Darij Medi terminatos fuiſſe, Daniel cap. 9. v. 1. 2. apertè teſtatur cum inquit: *Anno primo Darij filij Ahaſveri (ſive Aſtyagis ut putatur) è ſemine Medorum: ego Daniel intellexi in libris (ſacris) numerum anno-*

*De fine LXX annorum.*

*rum illorum de quibus factum erat verbum Iehovæ ad Ieremiam Prophetam (Ierem. 29. 10.) quod compleviſſet (deus) ruinis Ieroſolymam ſeptuaginta annis.* Hujus certè loci authoritate LXX. anni captivitatis primo anno Darii Medi currente, quo & Babylon fuit expugnata, indubitanter finiuntur.

Neque facit contrà, quod ab aliquibus ex Zachar. 1. 12. affertur, quaſi LXX. anni ſecundo demum anno Darii Hyſtaſpis fuerint finiti. Neque enim Angelus ibi dicit eo ipſo die vel anno quo ſuſcepit illam deprecationem, finitum fuiſſe tempus exilii LXX annorum, ſed quia jam elapſum erat, imo præterierant complures anni ex quo reverſus fuerat populus, & tamen nondum reſtitutum erat templum & civitas: ideo Angelus conqueritur, ſeptuaginta annos elapſos eſſe, & tamen reſtitutionem qualis fuerat promiſſa, nondum conſpici. Sic Lyra & doctiſſimi quique interpretes locum Zachariæ accipiunt. Eodem ſenſu etiam alter locus Zachariæ cap. 7. 5. intelligi debet: alioqui neceſſe eſſet LXX. annos captivitatis ne quidem à deportatione Zidkiæ & templi exuſtione, ſed triginta Demum annis poſt eam exordiri, niſi pro 70. minimum CVIII. annos catipitati tribuere vellemus.

Hactenus de principio & fine hujus intervalli: reſtat ut de articulis ejus aliquid addatur.

*Articuli tres LXX. annorum.* Articulos horum LXX. annorum in hiſtoria ſacra tres quidem annotatos habemus.

*Primus* eſt à deportatione Iechoniæ uſque ad deletam urbem, annorū undecim: de quo 2. Reg. 24. 18. & 25. 2.

*Alter* eſt à templo everſo & urbe deleta uſque ad exaltatum Iechoniam, annorum viginti ſex. Nam tot annis ea exaltatio ſubſecuta eſt templi excidium captivitatis nempe anno trigeſimo ſeptimo completo, anno primo Evilmerodach, ut annotatum habemus 2. Reg. 27. 25. & Ierem. 52. 31: *Fuit autem triceſimo ſeptimo anno tranſmigrationis Iehojachin Regis Iuda, duodecimo menſe, viceſima quinta menſis, elevavit Evilmerodach Rex Babel, anno regni ſui (nempe primo) caput Iehojachin regis Iuda, & eduxit eum de domo carceris: Locutuſque eſt cum eo bona, & poſuit thronum ejus ſuper thronum regum, qui erant ſecum in Babel:*

*Babel: Et mutavit veſtimenta carceris ejus & comedebat panem coram eo ſemper omnibus diebus vitæ ſuæ: Et portio ejus portio perpetua dabatur ei à Rege Babel per ſingulos dies ejus, uſque ad diem quo mortuus eſt, omnibus diebus vitæ ejus.* Præceſſit autem hæc exaltatio Iechoniæ populi totius liberationem annis XXXIII.

Tertius igitur articulus eſt ab exaltatione Iechoniæ uſque ad primum annum Darii Medi quo anno LXX. annos captivitatis completos fuiſſe ex Daniele modo oſtendimus: & quem proximo anno inſecuta eſt captivitatis ſolutio à Cyro Darii ſocio & ſucceſſore, Eſdræ, 1, quam tamen ſolutionem Iechonias non vidit: eſtque hic articulus annorum XXXIII.

Sub quot verò & quibus regibus Chaldæis annos 70. captivitatis tranſegerint in captivitate Iudæi: non omninò eſt certum aut evidens ex ſcripturis. Danielis hiſtoria tantùm duorum meminit, Nebucadnezaris & Belſaſaris: & hunc quidem illius vocat filium Dan. 2. 1. & 5. 1. 2. Ieremias verò inter hos medium ponit Evilmerodach Nebucadnezaris filium. Belſaſarem ergo filium pro nepote dixit Daniel. Sulpitius Severus Belſaſarem Evilmerodach fratrem minorem facit, & præter tres dictos reges, quartùm memorat Darium Medum, cui annos XVIII. aſſignat. Sed Darium tamdiu Babyloniis aut Iudæis captivis præfuiſſe non videtur: quia ſenex Babylonem occupavit. Dan. 5. 31.

*Sulpit. Seve Chron. l. 2.*

Profani hiſtorici non concordant.

Metaſthenes quinque hos recenſet ante Cyrum:

| | | |
|---|---|---|
| Nabuchodonoſor, quem ſcribit regnaſſe | annos | 45. |
| Evilmerodach | | 30. |
| Aſſar | | 3. |
| Labaſſar | | 6. |
| Balthaſſar | | 5. |

Omnibus ergo tribuit annos LXXXIX: qua ratione ſanè principium LXX. annorum in ultimam deportationem Zidkiæ, Nebucadnezaris anni XIX factam incideret. Sed fallitur Metaſthenes evidenter in primorum

primorum duorum regum annis. Nebucadnezarem enim non ultra 43. annos, & Evilmerodach vix 12. annis regnaſſe mox oſtendam.

Aliter Ioſephus & reges Babylonios & annos eorum ante Cyrum numerat lib. 10. Antiq. cap. 12: hoc videlicet modo.

| | | |
|---|---|---|
| Nabuchodonoſor, cujus regno tribuit | | annos 43. |
| Abilamarodach | | 18. |
| Niglaſſar | | 40. |
| Laboſardach | menſ. | 9. |
| Balthaſar, Babyloniis Naboandel | | 17. |

Rurſus aliter apud eundem Ioſephum in fragmento Beroſi lib. 1. contra Apion: reges & anni deſignantur: videlicet.

| | |
|---|---|
| Nabuchodonoſor | ann: 43. |
| Evilmerodach | 2. |
| Neriglaſſar | 4. |
| Laboroſardach | menſ: 9. |
| Nabonnedus cui Cyrus Babylonem eripuit. | 17. |

Hæc annotatio Ioſephi & Beroſi etſi in annis Nabuchodonoſori verior haud dubiè eſt, quàm Metaſthenis: tamen in numeris reliquis æquè videtur vitioſa. Nabuchodonoſorum enim quod attinet, ad ſummum is annos XLIII cum aliquot fortè menſibus regnaſſe, ex anno exaltationis Iechoniæ intelligitur. Is fuit triceſimus ſeptimus annus captivitatis ejus. Ante hunc verò annum completum Nabochodonoſorum vivis exceſſiſſe certum eſt: quia eodem illo anno regnare cœperat Evilmerodach, de quo ſcribitur, quod tricesimo ſeptimo anno captivitatis Iechoniæ, primo anno regni ſui menſe duodecimo, h. e, ſub exitum anni: Iechoniam è vinculis dimiſerit, & inter neceſſarios habuerit, multis muneribus donatum, & apud Babylonem regiæ ſuæ præfectum. *Pater enim ejus fidem non ſervaverat Iechoniæ*, inquit Ioſephus. Nabochodonoſor igitur quadrageſimum quartum annum regni vel non attigit, vel ſi attigit non complevit, nec is ipſi ſed filio Evilmerodacho

*Chryſoſt. pag 290. Nab. 43 annos ſolidos imperavit.*

*Ioſeph. lib. 10 Antiq. c. 12.*

dacho debetur. Is enim annus cohæret cum XXXVII. anno captivitatis Iechoniæ, quoniam Iechonias captus fueratNabuchonoſori octavo 2.Reg. 24.12. & expreſsè dicitur non annus XLIV. Nabuchodonoſori, ſed annus primus regni Evilmerodach. Si igitur Nabuchodonoſor ante quadrageſimum quartum annum regni completũ vivere deſiit: utiq; quod vult Metaſthenes XLV. annos regnare nõ potuit. Et ſi triceſimus ſeptimus annus captivitatis Iechoniæ eſt primus Evilmerodachi, utiq; non eſt XLIV. Nabuchodonoſori, vel ſaltem inter patrem & filium erit dividendus: & ſic Nabuchodonoſoro præciſè anni XLIII. cum aliquot menſibus tribuentur. Scio afferri commentum pro Metaſthene, Evilmerodach biennium regnaſſe cum patre, & teſtem citari Ioſephum. [*Funcc. Chron. Pag. 63.*] At Ioſephus expreſsè dicit, Abilamarodach demum poſt obitum patris regnum ſuſcepiſſe: & exaltatio Iechoniæ primo anno Evilmerodachi facta id ipsũ convincit Nam non niſi patre Nabucadnezare mortuo fieri potuit. [*Ier. 52. 31.*] Sed ad reliquos numeros tranſeo, quos dixi haud dubie vitioſos eſſe. Id primo arguit, quod ex Beroſo à primo anno Nabuchodonoſori ad captã Babylonẽ vix habentur anni 67. Ex Ioſepho plures quàm CXVIII.

Deinde Evilmerodach tantum duos annos regnaſſe non eſt veriſimile, cum ex hiſtoria ſacra diverſum elici videatur: ubi dicitur Evilmerodach Iechoniam epulis regiis adhibuiſſe omnibus Diebus vitæ ſuæ. Ierem. 52.33. Certè hæc verba: *Omnibus diebus vitæ ſuæ*, ſive ad Iechoniam ſive ad Evilmerodachum referas, non obſcurè tempus diuturnius denotant, quàm tempus biennii.

Adde quod hiſtoria captæ Babylonis, quam ex Beroſo refert Ioſephus, narrationi Danielis manifeſtè repugnat. Ait enim Beroſus, Nabonnedum capta Babylone fugâ elapſum, ac tandem alibi deditione facta à Cyro benignè habitum eſſe. Contrà Daniel divinus & αὐτόπτης ſcriptor aſſerit, regem Babylonicum in expugnatione urbis noctu conviviis & poculis luxuriantem trucidatum eſſe: cum quo etiam Xenophontis narratio de expugnata à Cyro Babylone ſatis conſentit. Scribit enim Xenophon, Cyrum cum Babylonii feſtum agitantes totam noctem biberent, & laſcivis carminibus ſaltationi- [*Xenoph lib 7. Cyri Pæd.*]

buſque indulgerent, Flumine urbem interluente in foſſas profundiſſimas derivato alveum permeabilem feciſſe, ſicque cum exercitu urbem noctu ingreſſum primò regiam invaſiſſe, regeque cœſo, & obviis quibuſque trucidatis, reliquis verò ſponte deditionem facientibus, urbem univerſam occupaſſe.

Euſebius in Chronico, quia LXX annos deſolationis ab exterminio templi, uſq; ad ejuſdem reædificationem, quæ anno ſecundo Darij fieri cœpit, numerandos putat, non niſi triginta annos inter captivitatem Zidkiæ & laxationem captivitatis per Cyrum computat. Tribus igitur Babyloniis regibus Nebucadnezari Evilmerodach & Belſaſari in univerſum vendicat annos quadraginta novem. Quod ſi quadraginta tres fuerint Nebucadnezaris, filio & nepoti tantum ſex relinquuntur. Sed & hoc ſtare non poteſt. Neceſſe enim fuit annos LXX. ante laxationem captivitatis expleri, & quidem ordiendo non à primo anno Nebucadnezaris, ſed à primo anno captivitatis, quem octavum Nebucadnezaris fuiſſe conſtat. Sic Chronologi hîc, quicquid dicant, incerti quaſi in tenebris palpant, neque convenire aut exitum invenire poſſunt. Plenis enim & veris hiſtoriis Chaldæorum, ut & Perſarum, deſtituimur. Nos igitur, omiſſis illis qualicunque ſi non luce, ſaltem umbra hiſtorię ſacræ hîc potius nitemur, & contenti erimus probabili collectione LXX. annorum captivitatis ſub regibus Chaldæis hoc modo.

NEBVCADNEZARIS annos habemus definitos in *Anni Nebucadnezaris 43.* ſcriptura 43. completos. Cœpit enim regnare anno quarto Iojakim Ierem. 25. 1. In fine ſeptimi anni, ineunte octavo, abduxit Iechoniam 2. Reg. 24. 12. Ierem. 52. 28. atque in hoc anno figitur LXX. annorum captivitatis principium, ut prius eſt demonſtratum. Eundē tenuit captivum annis triginta ſex, Nam trigeſimo ſeptimo deſierat regnare & vivere, & tunc Regnabat Evilmerodach patris defuncti ſucceſſor. Ierem. 52. 31. Regnavit ergo Nebucadnezar annis completis ſeptē ante captivitatem Iechoniæ, & triginta ſex poſt eam: qui ſunt XLIII. Porrò triginta ſex poſteriores anni in computum LXX. annorum captivitatis primo loco veniunt.

Deſunt

Deſunt triginta quatuor quorum ultimus eſt primus DARII Medi, quo currente poſt expugnatam Babylonem multa memorabilia contigerunt: Monarchia Medorum & Perſarum à Dario fuit Babylone conſtituta, atque per centum triginta ſatrapas adminiſtrata: Daniel abjectus in lacum leonum & liberatus: anni LXX. captivitatis & deſolationis completi, Danieli peccanti oraculum de LXX. ſeptimanis uſque ad Chriſtum exciſum ab angelo revelatum: denique Darius ipſe anno ſequente ineunte vitafunctus eſt, & Cyrus in Monarchia ſolus ſucceſſit. Neque enim eſt exiſtimandum, ſcripturam fruſtra annotare ætatem Darij, cum dicit, Babylone occupata eum fuiſſe annorum ſexaginta duorum Dan. 5. 31, & inſuper non niſi unum annum regno ejus tribuere: Dan. 7. 1. ſed ut cogitemus, ſequente ætatis anno ſexageſimo tertio, tanquam climacterico magno ſenibus infeſto fatis conceſſiſſe, & Monarchiam Cyro Iudæorum liberatori reliquiſſe quod etiam liber Hebræorum Seder olam confirmat. Tenuit itaque Babylonem Darius cum Cyro ſimul duobus annis juxta Metaſthenem: ſed uno tantùm completè, qui exprimitur Dan. 7. 1. & 9. 1. Alter annus mortuo Dario primus Cyri Monarchæ factus, eſt qui exprimitur Daniel. 1. 21. Sic certò habemus ex Sacra hiſtoria de LXX annis captivitatis XXXVI Nebucadnezaris & unum Darij Medi: qui ſunt XXXI.* *Primus annus Darij Medi memorabilis.*

* *Lege XXXVII.*

Reſtant Medij anni XXXIII: quos ſi diſtribuere voles inter quatuor reges intermedios Beroſi, Metaſthenis vel Ioſephi, cum nullo horum tibi conveniet. Ille enim annos pauciores, iſti plures habent. Sed nec illius pauciores cum oraculo lxx annorum, nec iſtorum plures cum ætate Danielis conſiſtere poſſunt. Nam juxta Beroſum ab octavo anno Nabuchodonoſori uſque ad captam Babylonem, pro lxx annis tantum habebis LX: Iuxta Metaſthenē Daniel, poſito quod in deportatione fuerit puer decennis (minor certè fingi non poteſt, quia poſt triennium collegio philoſophico Chaldæornm aſſcitus fuit, Dan. 1. v. 5. 18.) primo anno Darij Medi neceſſario fuit annorum nonaginta duorum. Iuxta Ioſephū vero plus quam centum viginti annorum: quorum neutrū videtur probabile

probabile. At juxta hiſtoriam ſacram, tunc cum Babylon occuparetur, non fuit majot octogenario. Adde, quod ſcriptura ſacra res Chaldæorum ab obitu Nebucadnezaris ad everſam Monarchiam eorum, non inter quatuor, ſed tantum inter duos reges, Evilmerodach & Belſaſar, filium ac nepotem illius diſtribuit, tum alibi, tum verò Ierem. 27. 7: *Et ſervient Nebucadnezari omnes gentes, & filio ejus & filij filio ejus, donec veniret tempus terræ ejus etiam ipſius, & in ſervitutem redigent eam gentes multæ, & Reges magni &c.* Hanc igitur ſcripturam tutius ſequimur. Sed ea neutri horum annos certos aſſignat. Saltem Evilmerodach primi anni, & Belſaſaris primi ac tertij mentionem facit. Et pluribus tamen utrumque regnaſſe argumentis tùm prius adductis, tùm alijs certò colligitur.

Sic itaque ſtatuo, in Beroſi fragmento annos duos Evilmerodacho mendoſe aſſcribi pro annis duodecim: ſubnixus authoritate Sulpitij, qui Evilmerodach duodecimo imperij anno diem functum fuiſſe, non ſine authore ſcribit.

*Sulpit. lib. 2. Chron.*

Habemus jam de annis LXX annos LIX: reſtant anni *XXI, quos BELSASARI relinquendus eſſe computus ſacer oſtendit. Atque hi ſunt *XXI anni cum novem menſibus quos Beroſus inter tres reges poſtremos, contra authoritatem ſcripturæ dividit. Sic igitur LXX annos captiviratis & regum Chaldæorum habemus.

* * *Lege XI*

Nunc quod reſtat, omnes hujus intervalli articulos ut ſupra eſt factum, ad annos mundi, & ad annos ante Chriſtum applicemus.

| | |
|---|---|
| Iechonias cum populo deportatur 8 anno Nebucadnezaris A, M. | 3404 |
| Ieroſolyma cum templo evertitur 19 anno Nebucadnezaris | 3417 |
| Iechonias exaltatur primo anno Evilmerodach ann. 12. | 3443 |
| Belſaſar ſuccedit patri Evilmerodach annis 21. | 3462. |
| Babylon capitur à Medis & Perſis. | |
| Darius Medus cum Cyro imperat anno uno | 3474. |

*Samarius in Chron. ſacra pag. 57. Balthaſarem facit Elvemerodach.*

FINIS LIBRI II.

CHRO-

# CHRONOLOGIÆ SACRÆ

## LIBER III.

## De computo ſacro annorum mundi à Cyro ad CHRISTUM.

---

### CAPUT I.

*Septimum intervallum à ſoluta captivitate uſque ad* CHRISTUM LXX *hebdomadibus Danielis continuatum oſtenditur: & de varia ſupputatione hebdomadum.*

DEduxi Chronologiam ex libris ſacris per ſex intervalla memorabilia, inde à principio orbis conditi uſque ad ſolutam captivitatem Babylonicam, ſeu ad primum annum Darij Medi incluſive, qui fuit ſeptuageſimus captivitatis, per annos Mundi 3474. Reſtat SEPTIMVM & poſtremum temporis curriculum à ſoluta captivitate, quæ facta eſt altero anno Darij tunc defuncti per Cyrum ſucceſſorem, uſque ad CHRISTVM exciſum h. e, crucifixum mortuum & ſuſcitatum. Hoc nullam in ſe habet difficultatem, ſed planè expeditum traditur in iiſdem libris, ſi modo his quantum decet attendamus, nec profanorum ſcriptorum authoritati plus juſto deferamus. Ab angelo enim præcisè revelatum eſt Danieli Prophetæ, ac definitum LXX. ſeptimanis annorum h. e, quadringentis nonaginta annis, dimidiata ſeptimana minus: Dan. 9. 23. 24. &c. ubi Gabriel à deo miſſus Danieli, evolutis & completis LXX annis captivi-

captivitatis ardentiſſime precanti pro venia peccatorum, & liberatione populi, talem nuncium affert. Recitabo autem oraculum integrum: prout olim ex interpretatione clariſſimi Hebræi D. Immanuelis Tremellii, Præceptoris mei, in Prælectionibus publicis excepi. Nec pudet me afferre aliena meliora, quam ſunt multorum propria.

Dan. 9 v. 23. *In principio deprecationum tuarum exivit verbum* [nempe ex ore Dei] *& ego veni ad annunciandum: quia deſiderabilium* [rerum] *tu es* [hoc eſt, quia tu es prædictus virtutibus Deo gratis. Sic Gen. 27. 15. in hiſtoria Iacobi præripientis fratri benedictiones: Rebecca accepit veſtes deſiderabilium, id eſt, elegantiores. Eſdr. 8. 28. Vaſa deſiderabilia. Plerique interpretantur: quia deſideriorum tu es, id eſt, quia tu es cupidus cognoſcendi res futuras] *Intellige itaque ſermonem hunc, & intellige viſionem hanc.*

*Locus certiſſimus de tempore adventus Chriſti deque ejus officio & beneficiis: item quid futurum ſit Eccleſiæ & populo Iudaico poſt illius adventum & mortem. Loquitur autem de hebdomadibus annorum, quarum ſingulæ ſeptem annos complectuntur: ut Levit 25. 8.*

24. *Hebdomades* vel tempus hebdomadum] *ſeptuaginta deciſæ ſunt* [Hebr. *deciſum eſt*, nempe tempus: nam hoc ſub audiri requirit verbum ſingulare נחתך cujus radix non reperitur niſi hoc loco, in ulla conjugatione] *ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam: ad claudendum* [h. *uſque ad* לכלא infinit. piel. p. 106. Si א. ſit tertia rad. ſignificat claudere. Si, verò ſit radix כלה ſignificat conſummare. Vtravis ſignificatio hic bona eſt] *prævaricationem, & ad conſumendum peccatum* [vel *peccata*. In voce Hebr. חטאות literæ ſignificant plurale, puncta ſingulare] *& ad expiandum iniquitatem, & ad adducendum juſtitiam ſeculorum, & ad obſignandam viſionem, & prophetam, & ad ungendum ſanctum ſanctorum.*

25. *Scias itaque, & intelligas: ab exitu verbi de reducendo* [nempe populo tuo] & de

de reædificanda Ieroſolyma [Hebr. ad redire faciendum, & ad ædificandum Ieruſalaim] *uſque ad* MESSIAM DVCEM ad Chriſtum regem. נגיד *dux princeps*: ſemel etiam *Rex* dicitur 2. Reg. 20. 5.] *hebdomades ſeptem* [ſcilicet ſunt vel erunt] & *hebdomades ſexaginta & duæ*: *redibit* [nempe populus tuus] *& reædificabitur platea & foßa* [nempe civitatis ſancta] *tamen in anguſtia temporum* [ſcilicet erit].

*Dixerat quid futurum eſſet ante finem 69 ſeptimanarum: ædificatum iri urbem: & venturum Chriſtum: Iam prædicit, quid poſt iſtas 69 ſeptimanas futurum ſit: exciſum iri Meſsiam, perdendum populum Iudaicum, & urbem cum ſanctuario excidendam à Romanis.*

26. *Et poſt ſeptimanas ſexaginta & duas* [nempè abſolutas, unâ cum ſeptem prioribus, ultima media currente, ut angelus poſteà exponit] *excidetur* MESSIAS, *& non* [in hac negatione includitur verbum ſubſtantivum futurum erit] *ei* [vel ejus, ל, ſæpe articulus genitivi: *non erit ejus*, nempe hæc exciſio, ſed potius eorum, qui excident eum: q. d. morietur quidem, ſed mors ei non dominabitur]. *Vrbem autem & ſanctum perdet populus Ducis venturi* [nempe Veſpaſiani & Titi: quanquam poſſit etiam referri ad ipſum Chriſtum] *& finis ejus in ipſa inundatione, & uſque ad finem belli exciſa* nempe erit urbs, erit inquam urbs] *deſolationum.*

*Cœperat loqui de officio Chriſti. Iam redit poſt exciſionem & plenius declarat officium ejus. Vocabit gentes ad Eccleſiam: Septimana ultima incipit à Baptiſmo Chriſti: media eſt ipſa mors Chriſti: quia umbræ tunc ſunt abolitæ. Dicit etiam cauſam excidij populi Iudaici: quia latè ſe extendent ejus abominationes: habebunt* כנף alam, *id eſt, latè erunt extenſæ.*

27. *Et corroborabit* [Meſſias] *fœdus multis hebdomade una* [ultima videlicet] *& in medio illius ſeptimanæ ceßare faciet victimam & oblationem: & propter extenſionem* [Hebr. alam] *abominationum, erit deſolatus* [nempe populus משמם deſolatus, participium ſecundum Piel: pro Pyal à שמם Dages & kibb. contrahuntur in Cholē. Tzeri ſub מ eſt pro camets] *& uſque ad conſummationem, eamque deciſam effundet ſe* [deſolatio] *ſuper deſolatum* [vel ſuper obſtupeſcentem, populum nempe Iudaicum שמם Benoni Pyal, pro & Dages kibbute contrahuntur in Cholēm Tzere fit ex patach. h.e, erit finalis & conſumata deſolatio] Hactenus Angelus.

Hoc porrò oraculo ſatis quidem convenit inter Chronographos atque ſcripturarum Interpretes, Angelum non loqui vulgariter de hebdomadibus dierum, ſed propheticè de hebdomadibus annorum, quæ ſingulæ complectuntur ſeptennium: de qualibus ſeptimanis præcipitur in lege Levit. 25. 8. *Numerabis tibi ſeptem ſeptimanas annorum, ſeptem annos ſeptem vicibus, ita ut tempus ſeptem ſeptimanarum annorum ſint tibi quadraginta novem anni*; & ad quarum differentiam, Daniel paulò poſt ſe tribus hebdomadibus dierum jejunaſſe ſcribit. cap. 10. 2.

*Hebdomades annorum.*

Cæterum de hebdomadum iſtarum terminis à quo & ad quem, ut loquimur h. e, de principio & fine rurſus reperio tàm recentium quàm veterum ſcriptorum tot diſcrepantes ſententias, quot propè ſunt, ut dicitur, capita. Quæ diſcrepantia & irreconciliabilis pugna ex eo admodum fonte videtur orta, quod plerique vel ad angeli conſilium & ſcopum oraculi non ſatis attendunt, vel ab eo ſcopo authoritatibus profanorum hiſtoricorum ſe abripi patiuntur: dum ſe ad obſcuriſſimam multiſque non ſolum diverſitatibus ſcatentem Perſicorum regum Chronologiam (ut non ſine cauſa de ea ſcribit Burgenſis) rigidius aſtringunt, quia nimirum juxta profanorum ſcriptorum calculum à tempore hujus oraculi, h. e, primo anno Darij Medi uſque ad Chriſtum aliquantò plures quam LXX ſeptimanas annorum reſultare obſervarunt: quaſi ſcilicet illorum, quàm divini hujus oraculi in computo major debeat eſſe authoritas: aut quaſi regulam ad lignum, & non potius lignum ad regulam accommodare oporteat.

*De terminis hebdomadum diſſenſio.*

*Burg. addit. 3 in Dan. 9.*

Vt verò, quod de varietate opinionum dixi, verum eſſe appareat, ſaltem præcipuas aliquot quaſi in tabella lectorum oculis ſubijciam.

Quantum igitur ad hebdomadum initium, reperio de hoc decem diverſas ſententias.

1. Prima ſententia eſt eorum qui ſeptimanas inchoant à quinto anno Zidkiæ regis incluſive, ut Lyra: quia anno quarto prodiit verbum de reditu populi in Hieruſalem, per Ieremiam: cap. 29. Et ſic etiam Burgenſis Addit. 2.

2. Altera ſententia eſt Hebræorum qui ut refert Lyra inchoant

choant ſexennio poſt ab everſione Templi per Nebucadnezarem, ut quidam Hebræi apud eundem Lyram.

*Alij* à primo anno Darij medi, ut Tertullianus, Origenes apud Hieron. 3.

*Alij* à primo anno & edicto Cyri, ut Clemens, Euſebius in demonſtrat. Calvinus, Beroaldus, Biblia Tremellio-Iuniana prima, nec non Bodinus de Rep. lib. 4. cap. 2. 4.

*Alij* à ſecundo anno Darij Hiſtaſpis, ut idem Euſebius, Cyrillus Hieroſol: Ioſephus, Munſterus. 5.

*Alij* à trigeſimo ſecundo anno ejuſdem Darij, ut Reinholdus, Bibliander. 6.

*Alij* à ſecundo anno Darij Artaxerxis Longimani, ut Lutherus, Melanchthon, Tremellius in prælectionibus. 7.

*Alij* à ſeptimo anno ejuſdem Longimani ſeu à miſſione Eſdræ in Iudæam, ut Funccius, & qui eum ſequuntur, neoterici plerique. 8.

*Alij* à viceſimo anno ejuſdem Longimani, ut rurſus Euſebius ex Africano, Theodoretus, Lucidus, quem ſequitur Pererius: item Mercator. 9.

*Alij* denique à ſecundo anno Darij Nothi, quem faciunt Templi inſtauratorem. Eſdr. 6: ut Sulpitius Severus: quem Sequitur author emendationis temporum Scaliger. 10.

Terminantur vero etiam Hebdomades variè, ab aliis aliter.

Ab Euſebio terminus earum figitur in CHRISTO duce, h. e, ut ipſe interpretatur, in uncto Pontifice & rege Iudæorum ALEXANDRO, aut ejus filio HYRCANO necato ab Herode. 1.

A Bibliandro in nativitate Chriſti Servatoris. 2.

A quibuſdam in Baptiſmo & prædicatione Chriſti. 3.

A Funccio in anno paſſionem Chriſti antecedente. 4.

A Lyra & Burgenſi, quos ſequitur Lucidus & Mercator in ipſa paſſione Domini. 5.

A Luthero in decimo anno poſt mortem Domini, in Synodo videlicet Apoſtolica Act. 15. 6.

A Scaligero in initio abominationum & belli Iudaici, circa annum 12. Neronis cæſaris. 7.

8. A Tertulliano denique & Sulpitio in ultima everſione urbis per Titum.

Ex iſta terminorum diverſitate immenſa varietas ſupputationis hebdomadum, & de hac lites inextricabiles natæ ſunt, de quibus quid mihi videatur, ſalvo cuique ſuo judicio, modeſte & candide exponam: non quod me ſummis Chronologis & artificibus æquem aut præferam, quaſi qui omnibus illis acutius hîc cernam: Sed quod judicem, palmam hîc in medio poſitam eſſe, & à Theologi munere haud quaquam alienum, de computo ſacro ex divinis oraculis veram eruere, & cum diſſentaneis comparare ſententiam.

## Caput II.

### *Proponitur vera connexio hebdomadum cum ſuperioribus: & explicatur oraculi Danielis genuinus ſcopus & uſus: unde vera ejus intelligentia pendet.*

*Hieron. Comm. in Dan. 9.*

*Periculoſum eſt*, inquit Hieronymus, de hac ipſa quæſtione diſſerens; *de magiſtrorum Eccleſiæ judicare ſententiis, & alterum præferre alteri.* Ideò tantùm quid unuſquiſque ſenſerit, ipſe refert, lectoris arbitrio derelinquens, cujus expoſitionem ſequi debeat. Retuli & ego plurium ſententias, variè diſcordantes: Liberum verò mihi ſit ſequi expoſitionem unius BEROALDI, excepto, quòd is ſeptimanam ultimam non in morte, ſed in Baptiſmo Chriſti dividit, nec mediam ſed completam in Chriſto exciſo terminat, in quo tamen parum eſt ſitum.

*Sententia authoris de principio & fine hebdomadum.*

Cum BEROALDO igitur Principium LXX ſeptimanarum figo in prima promulgatione edicti, quod fuit Cyri regis Perſarum, de reducendo populo, & de reædificanda Ieroſolyma: hicque ὁμοψήφους habeo Clementem, Euſebium, Calvinum, Bodinum, Biblia Tremellio-Iuniana, juxta quartam ſententiam. Finem ſeptimanæ ultimæ dimidiatæ pono in exciſione ſeu morte CHRISTI Ducis ac Servatoris noſtri: idque temporis interval-

intervallum LXX ſeptimanis annorum, una dimidiata minus (nam Angelus ipſe ultimam dimidiat ver. 27) hoc eſt, annis 487. definiri ſtatuo, argumentis adita ſententiandum minimè levibus inductus, quæ partim à ſcopo oraculi, partim ex ipſis verbis, partim denique ex diverſarum ſententiarum incommodis, & cauſa petuntur.

*Genebr.p.318 Simplicius eſt ut à Cyri anno incipiant.*

*Scopus oraculi* eſt geminus, ſpecialis & communis. *Specialis* ſeu proximus concernit perſonam Danielis, quem Angelus non vult, ut perfidi Iudæi, ad eludendum prophetiæ evidentiſſimæ ſenſum fingunt objurgare aut reprehendere, quod ſperet, meliorem fore ſtatum poſt finitos LXX annos: quia ſuperſint LXX hebdomades caſtigando, & tandem penitus excidendo populo definitæ. ſed vult mœſtum prophetam conſolari ac recreare læto nuncio, deque futuris porrò eventibus informare. Revoluti tunc erant præcisè lxx anni: populus anxiè indies circũ ſpiciebat, nequando adeſſet captivitatis finis, & veniret juxta prophetiam Ieremiæ ſperata libertas. Daniel pſe obſervans adeſſe ſeptuageſimum annum, componit ſe ad preces pro redemtione populi Erat is annus I. Darij Medi, quando regibus Chaldæorum deletis Babylonica Monarchia in poteſtatem Medorum & Perſarum redacta erat, juxta ejuſdem prophetæ prædictionem. Ierem. 25.12: *Deinde erit completis LXX annis, & animadvertam in Regem Babyloniæ in gentem illam, dictum Iehovæ &c.* Vtrumque erat certum argumentum liberationis inſtantis. Nec tamen modus vel occaſio ulla apparebat evaſionis in illa mutatione & ſummis perturbationibus regni. Idcirco non ceſſat Daniel cum jejunio, cilicio & cinere longa deprecatione Deum pro ea ſolicitare. Mittitur ergo Gabriel ad eum conſolatione erigendum, & intelligentia inſtruendum, ſicut dicit ipſe: *Adhuc me loquente in oratione: vir ille Gabriel, quem videram in illa viſione principio, juſſus advolare contentisſimè, tetigit me ſub tempus muneris veſpertini* (hoc eſt recreavit me ab infirmitate mea, ut eſt, cap. 8. verſ. 18.) *& informans me locutus eſt mecum ac dixit: O Daniel, nunc prodiĳ, ut imbuam te intelligentia.* Conſolatur vero eum & informat dupliciter: *primum* revelando ei exitum

*Scopus oraculi de hebdomadibus.*

*Dan.9.2. Ier.26.11. Ier.29.10.*

*Angelus conſolatur & informat Danielem dupliciter.*

verbi h. e, promulgationem edicti jam inſtantem, proximo nimirum anno, de populo dimittendo & urbe instauranda ver. 25. *Deinde* afferendo ei novum oraculum, de aliis LXX non annis, ſed hebdomadibus, inde uſque ad Meſſiam futuris, deque Meſſiæ, miniſterio, morte, reſurrectione & beneficiis, expiatione videlicet peccatorum, reductione juſtitiæ ſempiternæ, nec nō impletione Oraculorum & abolitione victimarum legalium, de his inquam omnibus intra LXX ſeptimanas annorum eventuris: denique etiam de urbis & ſanctuarii ob exciſum Meſſiam, obque tetras & longe extenſas Iudaicæ gentis abominationes extrema oppugnatione, everſione & conſummata deſolatione per Romanos, poſt exactas illas LXX ocyus inſtante. *Summa*, affert prophetæ perturbato Evangelium geminum. *Primum* de inſtante jam liberatione temporali ex Babylone per CYRVM, quam avide expetebat: *Deinde* aliud multò lætius de redemtione æterna & ſpirituali à peccatis & morte per CHRISTVM poſt LXX annorum hebdomadas fututa: cujus tamen contemtus & abominatio ſecum trahet populi Iudaici, urbis & templi totiuſque cultus extremam deſolationem atque interitum.

Hic erat ſcopus privatim ad prophetam & ad alios pios ejus temporis pertinens: ut videlicet de tempore adventus Meſſiæ in carnem aliquid clarius, quam hactenus ſciebant, cognoſcerent, deque ejus exhibitione & beneficiis magis confirmarentur.

*Scopus generalis oraculi.* *Moralis.*

Eſt etiam alius SCOPVS generalior, ad totam ſpectans Eccleſiam, & hic quoque geminus: unus *moralis*, adverſus ſcandalum crucis, ne electi aliquando offenderentur videntes Meſſiam à ſuis non recipi, imò occidi & crucifigi, & propterea populum Dei abjici, & viciſſim excidi. Alter verò *hiſtoricus*, ſive χρονολογικὸς, ne videlicet temporum ſeries inde à prima rerum origine ad Perſicæ Monarchiæ initium continuata in divinis Scripturis manca hiaret: ſed porrò uſque ad Meſſiam, imò præciſè uſque ad annum Meſſiæ exciſi ſeu occiſi propter peccata noſtra, in iiſdem per haſce LXX ſeptimanas pertexerentur. Id ita ſe habere, nemo inficiabitur, niſi qui vel ſpiritui ſancto hanc diligentiæ

*Hiſtoricus.*

laudem

laudem malignè volet detrahere, quod temporis ſeriem integram perfectamque inde à primo Adamo uſque ad ſecundum, à lapſu generis humani uſque ad reparationem ejuſdem, in ſacra ſua hiſtoria Eccleſiæ tradere voluerit ac re vera tradiderit: id quod ad piorum doctrinam, fidem, & conſolationem quæ à promiſſionum & oraculorum completione per certa temporum intervalla tota pendebat, omninò neceſſarium erat: ne tantus defectus hiſtoriæ ſacræ objici poſſet, neve Eccleſia ſupplementum aliquod doctrinæ ac fidei ſuæ aliunde ex fabuloſis profanorum authorum dictis aut geſtis petere cogeretur: vel certè hiſtoriam ſacram nunquam ſatis diligenter aſſpexit atque perpendit, quam religioſè ubique temporum curricula certis definita metis, in ea definiantur, quaſique articuli quidam invicem connectantur, unde tandem una annorum catena certa & firma inde à rerum principio uſque ad Meſſiam continuata reſultet.

*Primum* ab Adam ad diluvium finitum decem generationibus patrũ deligentiſſime contexit annis 1656: ut oſtendimus ſuprà. *Catena Chronologiæ ſacræ uſque ad Christum.*

*Alterum* æquè diligenter per totidem generationes à diluvio ad pactionem Ahrahamo confirmatam annis 437. deſignat, uſque ad annum Orbis 2093.

*Tertium* inde ad exitum populi & legem latam annis 430. præcisè definit, uſque ad annum mundi 2523.

*Quartum* ſimiliter ab exitu ad templum fundatum annis 480, uſque ad annum M. 3003.

*Quintum* inde ad captivitatem in hiſtoria regum Iudaicorum pertexit annis 401. uſque ad annum M. 3404.

Cum his *ſexto* annos LXX captivitatis connectit: uſque ad annum M. 3474.

Quibus tandem addit *Septimum* inde ad Meſſiam exciſum, LXX ſeptimanis definitum, uſque ad annum M. 3961. Propter hoc extremum omnia præcedentia fuerunt deſignata. Sine hoc extremo reliqua omnia vel nullum vel particularem ſaltem alicubi haberent uſum. Abſque hoc certè Danielis hebdomades nihil prorſus, quantum ad numerum definitum attinet, Eccleſiæ prodeſſent: Imo Eccleſia careret integra Chronologia

ſacra & certa , quod affirmare abſurdum & nefas eſt.

## Caput III.

### *Demonſtratio prima pro vera connexione hebdomadum explicatur: & breviter vindicatur.*

EXplicavi ſcopum & uſum oraculi. Hinc vero duo argumenta ἀποδεικτικὰ à fine ad effectum pro nexu hebdomadum cum fine captivitatis conficiuntur, quæ velim lectores probè perpendant: quia vix à paucis hactenus obſervata videntur.

PRIMVM *à fine ſeu uſu proprio tale eſt* : Sola ea ſententia vera, certa & neceſſaria eſt oraculi, quam finis ejus proprius ac proximus neceſſariò poſtulat. At finis iſque proprius oraculi neceſſariò poſtulat, LXX ſeptimamas cum LXX annis captivitatis immediate connecti. Sola igitur hæc ſententia vera certa & neceſſaria eſt oraculi. *Maior* firma & manifeſta eſt ex neceſſario nexu cauſæ finalis propriæ & effectus proprij. Abſque hoc enim illa eſſe non poteſt, & contra. *Aſſumtio* quoque firma eſt ex jam dictis. *Finis* eſt conſolatio & certificatio prophetæ de veritate prophetiæ Ieremiæ, & de liberatione præſenti, & de Meſſiæ adventu. Hanc certificationem Daniel ex verbis angeli unicè haurire potuit, ſi ex iis intellexit; jam adeſſe finem LXX annorum captivitatis Babylonicæ : & immediate ſequi principium LXX hebdomadum liberationis Chriſtianæ : Si inquam terminos à quo & ad quem, hoc eſt, initium & finem hebdomadum certò cognovit. Abſq; hac cognitione nulla fuit conſolatio, nulla intelligentia prophetę. At certo cognoſcere terminos nullo modo potuit propheta, ſi angelus διαῤῥήδην ei non revelavit. Non autem διαῤῥήδην ei revelavit, ſi per EGRESSVM VERBI de dimittendo populo, in quo principium hebdomadum apertè figit, non promulgationem edicti proximam, quæ ſequente anno inſtabat per Cyrum, ſed aliam incertum quando futuram ſeu inde terminatam intellexit. Sic enim angelus Danielem æq; incertum reliquiſſet de

adventu

adventu MESSIAE, atq; te relinqueret fatidicus aliquis, qui diceret, à morte IMPERATORIS uſq; ad finem ſeculi deciſos eſſe ann. LXX: intelligeret vero mortem IMP. non præſentis, ſed alicujus neſcio quando futuri. Tale vaticinium nonne diceres ludibrium, & litis materiam inter fatidicos? ita profectò oraculum hoc Danielis materiam litis inter Chronolog. fecerunt ij, qui principium hebdomadum à primo edicto Cyri ad aliud incertum, de quo ipſi incerti inter ſe litigant dimoverunt. Vidit hoc ipſum Burgenſis in additionibus Lyræ, ſi principium in aliquo termino pòſt futuro figatur, non fuiſſe Danielem per hanc revelationem certificatum de tempore, quo ea quæ petebat, deberent impleri, ſed potiùs ignoraſſe, quantum temporis diſtaret à tempore revelationis uſque ad tempus, in quo complenda eſſent ea, quæ ipſi fuerunt revelata: quod foret inconveniens. Vt igitur cõſtet ſcopus oraculi, prophetæ nempe conſolatio & certificatio: initium hebdomadum in primo egreſſu verbi neceſſariò figendum eſſe rectè ſtatuit idem Burgenſis: licèt circa primum verbi egreſſum ipſe etiam à vero aberret, non de primo edicto Cyri, ſed de primo egreſſu oraculi ad Ieremiam, qui fuit quarto anno Zedekiæ Ierem. 29. 10, intelligens cum Lyra, de quo errore poſtea dicetur. *Burg. in Dan. 9. additi. 2.*

PERERIVS Ieſuita hoc argumentũ Burgenſis, ut vocat, & ſuę ſententię, de qua infrà, & quotquot poſt Cyrum ſeptimanas inchoant, vidit valde obſiſtere: itaque illud quovis modò labefactare conatur: quod quomodo faciat, ut magis appareat, argumentum ipſum ex commentario ejus categoricè ſic repeto: *Abſurdum eſt dicere, Danielem ignoraſſe initium hebdomadum. Ratio: quia ſic non potuit certè ac definite ſcire, quo tempore venturus eſset Meſsias: quod ſane de tanto propheta, ex cujus prophetia jam veniſſe Meſsiam evidenter cognoſcitur & probatur adverſus Iudæos, ſentire per abſurdum videtur. At iuxta omnes illas opiniones, quæ poſt Cyrum & Danielis obitum ſeptimanas inchoandas ſtatuunt, neceſſe fuit Danielem ignorare initium hebdomadum, & tempus venturi Meſsiæ. Ergo omnes illæ abſurdum ſtatuunt.* *Perer. Comm. in Dan 9.*

Hanc argumentationem ait non magni negotij eſſe diſſolvere, & quidem dupliciter. *Primò*. negat propoſitionem, eſſe videlicet abſurdum, ſi dicatur Daniel ignoraſſe

raſſe definitè ac propriè tempus adventus Meſſiæ: quia nec omnia . quæ in aliis viſionibus ei dicta vel oſtenſa ſunt, plenè intellexerit: & hoc probat ipſius Danielis verbis de viſione capitis octavi ex ver. 27. ibidem: *Stupebam ſuper viſione, & non erat, qui interpretaretur.* Et de fine ſeculi ex cap. 12. ver. 8: *Ego quidem audivi, ſed non intellexi.* RESPON. Imo eſt abſurdum dicere, Danielem ignoraſſe definite id, ad quod definite eum docendum Angelus ſe dicit veniſſe ver. 22. *Modò egreſſus ſum, ut intelligere faciam te intelligentiam. Scias igitur & intelligas*, quodque Daniel ſe intellexiſſe aperte ipſemet fatetur ibidem: *Et intelligere fecit me.* Hæc tam manifeſta falſitatis arguere, an non eſt perabſurdum? Et quomodo quæſo Propheta alios docere id potuit, quod ipſe ignoravit? Aut quid opus erat, angelum præciſe determinare tempus ad CHRISTVM, ſi propheta non intelligere, ſed ignorare debuit aut potuit. Ad alias viſiones quod attinet, diſpar longe earum eſt ratio & iſtius. Hæc enim palam definita erat certo hebdomadum numero. Ac viſio octavi capitis non item. Myſterium verò de fine ſeculi ſcire nec Danieli nec Angelis datum fuit. Non mirum igitur, ſi & ille & iſti ignorent.

His rationibus vidit convelli prius ſuum reſponſum ad propoſitionem. Ideo addit aliud fuiſſe quidem Danieli patefactum, quanto tempore poſt eam viſionem ædificanda erat Hieruſalem, & dandum initium LXX hebdomadum, & venturus Meſſias: Illud vero in ſacris literis non haberi; hoc eſt, negat aſſumtionem: Sed commento nimis frivolo & abſurdo: Patefactum enim fuit Danieli, nō ut ipſe ſolus ſibi ſciret, ſed ut alios etiam pios de eo myſterio doceret: imò ut tanquam Catholicus Eccleſiæ propheta ad doctrinam, conſolationem & uſum univerſæ Eccleſiæ id ſcriptum relinqueret, quod etiam fecit. Alioqui, ſi ſolus ipſe ſcivit, neque id uſquam in ſacris literis teſtatum factum eſt: quomodo ſolidè ex hoc oraculo demonſtrabimus adventum Meſſiæ adverſus Iudæos? Aut quis docuit Pererium ibi concludere principium LXX hebdomadum non alibi, quam in 20 anno Artaxerxis Longimani locandum eſſe? Aut igitur Daniel initium hebdomadum & tempus Meſſiæ

quo,

quod ipſe non ignoravit, etiam hoc oraculo certe & definitè teſtatum fecit: aut ſi non fecit, initium & tempus illud ex oraculo certè definitè ſciri non poteſt: & ſic omnis uſus Chronologicus hujus oraculi adverſus Iudæos nobis peribit.

## CAPUT IV.

### *Demonſtratio ſecunda & tertia veræ connexionis hebdomadum.*

ALtera demonſtratio *à fine communi poſteriore hæc eſt.* Sola ea ſententia vera certa & neceſſaria eſt oraculi, quam Chronologiæ ſacræ inde uſque ad Meſſiam indubitatò pertexendæ ratio poſtulat. At hæc ratio neceſſariò poſtulat hebdomadum initium, cum fine captivitatis immediatè connecti. Hæc igitur ſententia ſola vera, certa & neceſſaria eſt oraculi. *Major* rurſus manifeſta eſt ex ſcopo & fine oraculi, quem ſi nobis præſtare non debet, nullum utique præſtabit, quantum ad numerum hebdomadum attinet. Quorſum enim LXX hebdomades definiit angelus uſque ad Chriſtum, ſi ad Chronologiam ſacram hactenus à rerum principio continuatam numerus ille nihil pertinebat? *Minor* etiam evidenter patet. Sola enim hæc eſt ratio certa & expedita perficiendi Chronologiam ſacram uſque ad CHRISTVM, ſi hebdomadum initium in primo Cyri edicto & anno figatur, & cum fine captivitatis immediate connectatur. Secus ſi fiat, invehitur ingens annorum hiatus finem captiviitatis & hebdomadum principium iſq; ita dubius & Lubricus, ut impoſſibile ſit convenire de eo Chronologos propter obſcuriſſimam Perſicorum annalium hiſtoriam, ut mox oſtendam: unde & numerum LXX ab angelo definitum neceſſe ſit lubricũ, imò falſum exiſtere: quandoquidem angelus, ſi modo aliqua diverſarum opinionum vera eſſet, ab egreſſu verbi uſque ad Chriſtum non LXX, ſed juxta hunc LXXII, juxta alium LXXV, juxta alium LXXVII, rurſus juxta alium LXXXI juxta alium LXXXV juxta aliũ deniq; LXXXVI ſeptima-

ſeptimanas definire debuiſſet: ut ex ſequentibus magis liquebit. Quod abſurdum, ut Chronologi evitarent, utique ad ſcopum χρονολόγικον oraculi diligentius attendere debuerunt.

TERTIVM *argumentum ex diſertis angeli verbis* petitur. Angelus enim unde ſint inchoandę, & ubi terminandæ, LXX hebdomades, Danieli expreſsè indicavit v. 25. *Scias itaque & intelligas, quod ab exitu ſermonis de reducendo populo & ædificanda Ieruſalaim uſque ad* CHRISTVM *ducem erunt hebdomades ſeptem & ſexaginta duæ &c.* Initium igitur in EXITV VERBI de reducendo populo: Finem in morte CHRISTI ſtatuendum eſſe docet. Sed de fine videbitur poſtea. De initio nunc quęritur. Angelus dicit: *Ab exitu verbi*: Verbum hîc notare edictum regium adjuncta docent, & Chronologi conſentiunt, præter Lyram & Burgenſem, quorum opinio infra refutabitur: *Ab exitu igitur verbi*, h. e, à promulgatione edicti Regij de dimittendo populo & reædificanda Ieroſolyma, decisæ ſunt LXX. hebdomades. Iam videamus, quandò primum exiverit verbum. h.e, promulgatum ſit edictum de libertate populi, & inſtauratione Ieroſolymæ. Sic vero ſcribitur in fine Chronicorum, & in exordio libri Eſdræ: *Anno primo* CHORES *regis Paras, ut perficeretur verbum Iehovæ ex ore Ieremiahu, excitavit Iehova ſpiritum* CHORES *regis Paras: qui* EDICTVM PROMVLGAVIT *per univerſum regnum, & etiam ſcripto dicendo: Sic dixit* CHORES *rex Paras: Omnia regna terræ dedit mihi Iehova Deus cœli: & ipſe præcepit mihi, ut ædificem ei demum in Ieruſalaim, quæ eſt in Iehuda. Quis eſt inter vos de univerſo populo ejus cum eo & aſſcendat in Ieruſalaim, quæ eſt in Iehuda, atq; ædificet domum Iehovæ Iſraëlis &c.* Cyrus, inquam, hoc primus promulgavit edictum, ut rediret populus, & inſtauraret Ieroſolymam cum templo: idq; primo anno monarchię ſuæ, h.e. proximo ab expugnata Babylone, & à revelatione oraculi: quando Dario Medo ſocero in imperio ſucceſſerat. Proximo ſtatim anno ingens Iudæorum urba, nempe 23927. ducibus Zorobabele & Ioſua, Babylone Iudæam remigravit, & altero poſt anno templi atq; urbis ſtructura fuit cœpta. In primo igitur ann. Cyri principium hebdomadum Angelus ſtatuendum eſſedocet.

CAPVT

# Caput V.

## *Demonſtratio tertia vindicatur à variis cavillis.*

SCio ad infirmandam hanc demonſtrationem, & ad obſcurandum clariſſima Angeli verba, quædam afferri, quaſi egreſſus verbi ad edictum Cyri non pertineat: ſed ſolida non ſunt.

*Primo objicitur*, in verbis להשיב ולבנות *de, reducendo & ædificando*, eſſe hebraiſmum, pro, *de iterum ædificando*: ut habet vetus: quia שוב Hebræis aliquando ſignificet iterationem: & ſic poſtea: *redibit & ædificabitur platea*, id eſt, *rurſus ædificabitur platea*. Nō igitur ad exitum ſermonis de reducendo populo ſub Cyro, ſed de reædificanda urbe ſub Artaxerxe pertinere oraculum. RESPONDEO. Quod שוב Hebræis aliquando iterationē ſignificet, verum eſt: ut Gen. 26. 18. *Et rediit Iſaac, & fodit puteos aquæ*, id eſt, rurſū fodit: ſicut reddiderunt LXX: καὶ πάλιν Ισαακ ὤρυξε τὰ φρέατα τοῦ ὕδατος. Sed talis Hebraiſmus hîc non habet locum: quia verbum שוב de reditu populi hîc intelligendum eſſe; *primò* oſtendit præcedens verſus 24, ubi angelus diſtinctè conjunxit populum & urbem: *Deciſæ*, inquit *ſunt LXX hebdomades ſuper populum tuum & ſuper urbem ſanctam*. Quatenus vero deciſæ ſint ſuper illum & ſuper iſtam, exponit diſtinctè v. 25. quia intra hoc tempus reducetur populus tuus, & reædificabitur Ieroſolyma. Daniel enim diſtinctè precatus fuerat pro utroque: *pro populo reducendo & pro civitate* reædificanda: v. 19. De utroque igitur reſpondere voluit & debuit angelus. Eſt ergo in להשיב ellipſis accuſativi עמך *populum tuum*: quam ellipſin rectè ſuppleverunt in ſuis verſionibus Pagninus & Tremellius, *Deinde*. Angelus accommodat oraculum promiſſionibus expreſſis Ieremiæ: non modò de reædificanda urbe, ſed etiam de reducendo populo. Jerem: 24. 6. *Et reducam eos in terram hanc*. Ierem. 29. 11. *Reducam vos ad locum iſtum*. Vtroq; loco eſt idem verbum להשיב&השיבתים quo hic utitur angelus. Debet ergo hîc etiam referri ad populum, quia promiſſiones plures conveniunt.

SECVN-

SECVNDO objicitur, plures fuiſſe exitus verbi, id eſt, edicta promulgata à regibus Perſarum de reditu populi: *Primum* quidem à Cyro: de quo 1. Chr: 36. ver. 22. 23. & Eſdræ 1. 1. *Alterum* verò à Dario ſive Longimano ſive Notho (dubitatur enim uter fuerit) de quo Eſdr. 6. verſ. 8. *Tertium* ab Artaxerxe Memore anno ſeptimo regni, cum mitteret Eſdram. Eſdræ 7. 11. *Quartum* ab eodem Artaxerxe anno viceſimo regni, cum mitteret Nehemiam. Nehem. 2. v. 8. Non igitur neceſſariò ad primum edictum Cyri verba Angeli pertinere. RESPONDEO. Imò neceſſariò. *Primum*, quia angelus initium hebdomadum abſolutè & abſque determinatione figit in exitu verbi. Intelligit ergo exitum verbi tunc proximè inſtantis: Alioqui dixiſſet: ab exitu verbi ſecundi vel tertij, vel quarti: vel certè initium hebdomadum dubium, & prophetam incertum reliquiſſet. *Deinde* figit initium in exitu verbi de demiſſione populi ſolenni & univerſali. Hæc verò à ſolo facta eſt Cyro. Nam ad hujus edictum verè reverſus eſt populus, quando duce Zorababele Ieroſolymam redierunt viginti tria Iudæorum millia, nongenti & viginti ſeptem, cum multis millibus equorum, camelorum, aſinorum &c, ut habetur Eſdr: 2. v. 64. 65. ſub Dario non legitur facta aliqua populi demiſſio vel reditio. Sub Artaxerxe cum Eſdra reverſæ ſunt quædam tantùm populi reliquiæ, ad 1510, ut eſt Eſdræ. 7. ſub eodem denique cum Nehemia reditus populi nullus memoratur factus. Non igitur niſi de exitu verbi primo oraculum intelligi debet & poteſt.

TERTIO objicitur: angelum figere initium ſeptimanarum in egreſſu verbi de reædificanda urbe. At Cyri edictum non fuiſſe de reædificanda urbe, ſed tantùm de reditu, populi, & de reædificando templo. Vrbis verò inſtaurandę edictum demum ab Artaxerxe Longimano, vel Notho, vel Memore (Nam quis certò fuerit neſciunt) promulgatum fuiſſe. Non igitur de primo edicto Cyri, ſed de quarto demum edicto Artaxerxis egreſſum verbi intelligendum eſſe. RESPONDEO. *Primò* negatur angelum tantum loqui de reædificanda urbe. Diſertè enim dicit: *De reducendo*, nempe עמך *populo tuo*, pro

pro cujus liberatione oraſti: *& de reædificanda Ieroſolyma*, urbe nimirum ſancta, cujus inſtaurationem petiviſti. *Deinde* falſum eſt Cyri edictum non fuiſſe etiam de reædificanda urbe. Fuit enim de populi reditu, & de templi atque urbis reparatione ſimul. De populo ac templo liquet. De urbis inſtauratione mox à reditu tentata, & paulatim continuata etiam ante Nehemiam, licèt abſque mœnibus & portis, variè liquet ex hiſtoria. Nam Eſdr. 4. 12. Iudæi accuſantur ad Artaxerxem, quod Ieroſolymam VRBEM rebellem & peſſimam ædificarent, I. & muros fundarent. Si vero urbem ædificabant, utiq; ex edicto Cyri ædificabant. 2. Paſſim etiam urbs Zerubabele & populo reduce inchoata nominatur Ieroſolyma: Patet idem ex prima concione Haggæi anno II. Darij Longimani ante Nehemiæ adventum, ſuperſtitibus adhuc Zerubabele duce & Ieſua pontifice habita: qua Iudæos graviter objurgat, quòd templo tot annis neglecto ipſi interim ædificaſſent & habitarent domos laqueatas. Et Iudæi ſub reditum Nehemiæ ab uſurariis oppreſſi queruntur: *Agros noſtros, & vineas noſtras, & DOMOS noſtras pignori damus* &c. Et poſtea: *Reddite ergò iis agros eorum & vineas eorum & oliveta eorum & DOMOS eorum.* Et ver. 13: *Sic excutiat Deus omnem Virum, qui non compleverit omne verbum de domo ſua, &c.* Ædificaverant ergo domos. Patet etiam ex eo, quod tot millia reducum Iudæorum (erant minimum 50000) ſub Zerubabele & Ieſua annis plus quàm 40 ſine urbe vivere non potuerunt: Neq; dici poteſt, quod quidam fingunt cum Sulpitio Severo, eos interim templo ſe continuiſſe. Conſtat enim templum ante ſecundum annum Darij nullum fuiſſe: tametſi anno ſecundo reditus altare ædificare, & fundamenta quædam templi jacere populus cœpiſſet. Quomodo igitur templo, cum nondum eſſet, ſe continere abſque urbe potuerunt? Denique per abſurdum eſt dicere, templi ſtructuram fuiſſe præceptam, urbis non item. Quid enim templum ſine urbe? ſine accolis? Quomodo in feſtis ſolennibus Iudæi ex toto orbe confluxiſſent ad templum abſque diverſoriis & civitate?

*Quod edictũ Cyri ettiam nõ fuerit de reparanda urbe aut templo.*

Etſi autem in Cyri edicto urbis reparandę mentio non videatur

videatur expreſſa, non ſequitur tamen, quod Cyrus non edixerit: cum templi moles & majeſtas abſque urbe reparari minime potuerit. Templi vero tanquam nobiliſſimæ partis urbis potiſſimum fuit mandata inſtauratio. Ideo edictum Cyri Eſd. 1. 3, ut & Darij Eſd. 6. 8. habet ſynecdochen de reædificando templo & urbe: potiſſimum autem templo, in quo ſacra facerent pro regis ſalute. Eſdr, 6. 10. Et ſic integrum edictum Cyri exprimitur. 3. Eſdr. 4. ver. 63. *Dedit illis remiſſionem & refrigerium: ut aſcenderent, & ædificarent IEROSOLYMAM. & templum, ubi nominatum eſt nomen eius in ipſo.* Euſebius quoque fatetur Demonſtr. 2. lib. 8. à Cyro prodiiſſe edictum, ut ædificaretur Ieroſolyma, licet opus templi propter impedimenta vicinorum non ſucceſſerit. Et Sulpitius ſcribit libr. 2: *Interea Iudæi, quos ex permiſſu Cyri in patriam regreſſos ſuprà memoravimus, VRBEM ac templum reſtituere aggreſſi, ut pauci atque inopes proficiebant &c.*

Quod vero dicitur, tandem Artaxerexis edicto urbem per Nehemiam fuiſſe inſtauratam, id verum eſt, quo ad muros, portas, palatia, civium frequentiam & civitatis ornamenta alia, quæ authoritate Artaxerxis Nehemias inſtauravit. Præcipuè vero hic legitur conſtruxiſſe mœnia urbis, & circa ea octo portas quinquaginta duorum dierum ſpacio Neh. 3. 4. 6. At hoc non impedit, quin prius etiam à Zerubabele ſapientiſſimo Duce aliqua urbis & Reipub. forma ibi fuerit conſtituta, multiſq; jam millibus reducum Iudæorum frequentata: Neque enim muri ſed cives civitatem faciunt. Et plateas urbis Nehemias diſpoſuiſſe nuſquam legitur: Imò ante eum fuiſſe plateas urbis colligitur ex Eſdr. 10. 9. Neh. 8. 3. &c. Denique platearum quidem & foſſæ inſtaurationem angelus etiam intra hebdomadas ſeptem futuram promittit ſed initium ejus reſtaurationis in exitu edicti de reducendo populo & inſtauranda urbe aperte ſatis figit.

Atque hinc etiam facilè ſolvitur, quod QVARTO quidam objiciunt, Cyri edictum fuiſſe irritum factum & impeditum, uſque ad ſecundum annum Darij. Non igitur inde eſſe ordiendas hebdomadas. RESPONDEO

Primò:

*Primò*: edictum Cyri fuit impeditum, quo ad templi & munitionum ſtructuram, non autem quoad populi reditum, & urbis qualemcunque reparationem. Nam neq; populus tunc fuit in captivitatem retractus, neque prohibita ædium ſtructura Ieroſolymis, id quod ex hiſtoria Eſdræ & ex Haggæo manifeſtum eſt. *Deinde*, etſi totum fuiſſet prohibitum, quid tum? nihil id obſtaret noſtræ ſententiæ. Neque enim angelus dicit, ſeptimanas eſſe numerandas ab ædificatione templi, vel urbis, aut mœnium: ſed ab egreſſu verbi de reducendo populo, & de reædificanda urbe. Nihil igitur ad rem facit, quòd ædificatio impedita fuit: cùm conſtet egreſſum verbi, & reditum populi, & incolatum urbis minimè impeditum fuiſſe: ut ſatis mirari non poſſim, etiam doctos viros hoc κρησφύγετον arripere, quaſi firmum, cum nil ſit eo infirmius. *Cyri edictum*, inquiunt, *exiguo effectu fuit*. Certè fuit magno, quia populus & per illud rediit & libere habitavit Ieroſolymam. Sed fuerit ſane exiguus: quid id ad rem? Quaſi vero ab effectu verbi magno vel parvo, & non ab ipſo egreſſu verbi angelus ſeptimanas numeret.

DENIQVE objiicitur, ſpacium temporis à Cyro ad Chriſtum effluxiſſe longe amplius: nempe annos multos ſupra quingentos: non tantum 490: quot faciunt LXX hebdomades: proinde has à Cyri edicto inchoari non poſſe. RESPONDEO. Hæc ſola cauſa movit Chriſtianos Chronologos, cur in verbis angeli per ſe planiſſimis, difficultates, quaſi nodos in ſcirpo quærerent, quia nimirum ex profanis ſcriptoribus Herodoto, Thucydide, Xenophonte Ptolemæo, Diodoro, Plinio, Solino & aliquantò plures annos neſciunt tamen quot, à Cyro ad Chriſtum, quam ex Daniele collegerunt. Quaſi vero profani ſcriptores plus fidei, quàm S. Propheta Daniel apud nos mereri debuerint: & quaſi non ipſimet illi in ſuis fabulis ab invicem δὶς διὰ πασῶν diſſiderent, omneſque eos, qui ipſos ſequuntur, non modo inter ſeſe, ſed etiam ab invicem variè diſſidere facerent: quia videlicet neceſſe fuit in infinitum errare, qui ſemel à regula deflexerunt. Dicam vero de hoc nodo paulò poſt, ubi de cauſa tanti diſſidii Chronologorum dicendum

cendum erit, Atque hactenus de initio hebdomadum.

## CAPUT VI.

### *Hebdomadas in morte CHRISTI terminari demonſtratur, & partitio hebdomadum explicatur.*

DIxi ſeptimanas Danielis terminari in CHRISTI excidio ſeu morte, & ita quidem, ut hæc in medium ſeptimanæ extremæ incidat. Id verò Angelus expreſſiſſimè etiam docet. Initio generatim & obſcurius dicit, hebdomadas LXX ſuper populum & ſuper urbem deciſas, hoc eſt, præcisè definitas eſſe à Deo, uſque ad finiendam prævaricationem & Mox explicatius definit hebdomadum terminos, initium quidem *exitum verbi*, de quo jam vidimus: finem vero *mortem Chriſti*, cum addit: *Poſt hebdomadas ſexaginta duas* [ nempe & ſeptem priores in quibus ædificabitur platea & foſſa, h. e, poſt hebdomadas ſexaginta novem ] *excidetur CHRISTVS* [Et poſtea: *Roborabit autem fœdus* [ nempe doctrina & miraculis tempore ſui miniſterij ] *multis hebdomade una* [h. e, ultima ſeptuageſimâ eaque non integra, ſed tantùm dimidia, h. e. annis tribus cum dimidio. ] *Nam in media ſeptimana,* [ h. e. anno quarto currente ] *ceſſare faciet victimam & oblationem* [ h. e, victima & oblatione ſui corporis victimas & oblationes typicas implebit & abrogabit ] Hic genuinus & verus eſt verborum ſenſus: neque ſi juxta omnes ſuos apices probe penſitentur, alium ullum admittunt: ac multo etiam minus, ſi cum hiſtoria CHRISTI & impletione ipſa conferantur. Ergo poſt ſeptimanas LXX incompletas, h. e, poſt VII & LXII & dimidiam, quæ ſunt LXIX cum ſemiſſe, excidetur CHRISTVS. Terminus igitur hebdomadum LXX minus ſemiſſe indubitatò figitur in CHRISTI excidio ſeu morte, ad quam à principio hebdomadum effluunt anni 487.

Beroaldus quoque in morte Chriſti eas terminat, ſed integras,

integras, ut à principio ad finem ſint anni 490 : quia miniſterium Chriſti inchoat in ultimâ, media, terminat in eadem finiente : Sed angelus inchoat in ultima incipiente, terminat in eadem media currente non finiente. Verba ſunt clara. *Poſt ſeptimanas* VII *&* lxII *excidetur* CHRISTVS non tamen ſtatim: quia reſtabit ſeptimana ultima, qua incipiente incipiet quoque Meſſias pactum roborare multis ſua doctrina : Præciſè enim tunc ingredietur ſuum miniſterium : id quod factum memorat Lucas , cum CHRISTVS inciperet eſſe annorum quaſi triginta, h. e, trigeſimo ætatis anno ineunte Tunc enim baptizatus eſt à Iohanne, & prædicare cœpit regnũ Dei Luc. 3. 23. Sed nec diu miniſterio ſuo fungetur quoniam in medio ſeptimanæ, h. e, anno quarto currente occidetur à Iudæis: quod Angelus dicit: *in dimidia hebdomada ceſſare faciet ſacrificium & oblationem.* Eſt periphraſis mortis Chriſti ab effectu : quia morte ſua tanquam ſacrificio & oblatione vera ſignificata finem afferet omnibus ſacrificiis & oblationibus typicis. Per mortem enim & ſanguinem Chriſti habemus redemtionem, hoc eſt, remiſſionem peccatorum Eph. 1. 7. Gal. 1. 14. *Vbi autem eſt peccatorum remiſſio , non eſt amplius oblatio pro peccato.* Heb. 10. 18. Errant vero qui hoc ad everſionem cultus Iudaici per Romanos referunt. De Meſſia enim utrumque dicitur: *Roborabit fœdus*: &, ceſſare faciet ſacrificium.

Nec obſtat, quod dicitur v. 24: LXX ſeptimanæ deciſæ ſunt, h. e, præciſe definitæ. At LXX ſeptimanæ ſunt anni 490, non 487. Valeret argumentum , ſi angelus ipſe limitationem non adderet: Sed limitat, dum poſtea ultimam dimidiat, h. e, dimidiam tantum miniſterio Chriſti vendicat, & in media currente occidendum dicit. Multò minus juvat illud opinionem eorum qui terminum ſeptimanarum faciunt urbis excidium. Deciſæ enim dicuntur non uſq; ad urbis deſolationem, ſed uſq; ad CHRISTVM & quidem exciſum h.e, crucifixũ Verum examen aliarum ſententiarum differo in ſequens caput.

Nunc quia principium & finem hebdomadum habemus: etiam de partitione earum , quam angelus inſtituit, aliquid addendum videtur.

*Trifariam* dividit ſeptimanas, in ſeptem, in LXII, & in unam dimidiatam: haud dubiè non abs re, ſed ad ſignificandum memorabiles quoſdam eventus circa diſtinctos illos articulos.

PRIMIS ſeptem hebdomadibus, quæ ſunt anni 49, prædicit inſtaurandam plateam & foſſam ſeu murum. Per *plateam* intelligit civitatem συνεκδοχικῶς per *foſſam ſeu murum*, munitiones חָרוּץ enim utrumque ſignificat: quia in foſſis & muris ſitæ ſunt munitiones. Iam conſtat, Ieroſolymæ præcipuam munitionem ſemper fuiſſe Templum, idque ex hiſtoria expugnati Templi, primum à Pompejo, deinde à Tito, ſatis eſt notum. Legatur Ioſephus lib 14. Antiq. cap. 8. & lib. 7. de bello Iud. cap. 9. Ergo prædicit Angelus, intra primas ſeptem hebdomadas urbis qualemcunque figuram, & Templi foſſam atque muros inſtaurandos eſſe: quod & factum eſt. Nam à primo anno Cyri uſque ad abſolutum Templum fluxerunt præciſe anni completi 48. *Primo anno* prodiit edictum Cyri: proximo anno rediit populus. Nam primo anno itineri ſe accingebant familiæ. Tertio anno plateam & murum, h. e, urbem & templum fundare cœperunt: quod patet ex hoſtium epiſtola ad Artaxerxem: Eſdr. 4. *Notum ſit Regi, quod Iudæi, qui aſcenderunt à te. ad nos venerunt in Ieruſalaim, urbem rebellem & peßimam ædificantes, & muros fundaverunt, & parietes compoſuerunt. Nunc notum ſit Regi, quod ſi urbs illa ædificata fuerit, muri fundati fuerint, tributum vectigal & reditum annuum non dabunt, & tributum Regum lædet &c.* Hac calumnia gravati Iudæi mox ceſſare coacti ſunt ab ædificando, omnibus diebus Cyri Perſarum regis. Eſdr. 4. 5. Nam Cyrus altero poſt occupatam Babylonem anno in Maſſagetas proficiſcens Herodoto teſte regnum filio Cambyſi tradidit, qui conſiliariorum impulſa Iudæos in ſeptimum uſque annum à templi ſtructura prohibuit: ut ibi dicitur. *Et conduxerunt contra eos conſiliarios, ut diſſiparent conſiliũ eorum omnibus diebus Chores regis Paras.* Prohibitionem continuavit poſt Cambyſen Ahaſuerus annis 20, ut eſt ibidem Eſdr. 4. 6. Continuavit eandem Artaxerxes Ahaſueri ſucceſſor: ibidẽ. v. 7: annis ut colligitur 16. donec tandem ſecundo

*Herod. lib. 1.*

DARII

DARII anno reſtituta Iudæis ædificandi poteſtate, templum porrò ædificari cœptum & quarto pòſt anno abſolutum fuit, ut eſt Eſd. 6. 15. Collige jam hos annos, & habebis annos completos 48. Annus ſequens fuit poſtremus ſeptimæ hebdomadis.

Hinc intelliges, quomodo Iudæi objiciant Chriſto, templum annis 46. ædificatum fuiſſe. Ioh. 2. 20. Conjungunt illi annos XLII ceſſationis, & annos quatuor ædificationis, quaſi continuè ædificatum fuiſſet: idque ex reſponſo ſeniorum: Eſdr. 5. 16. Omnes autem hi anni inde à jactis templi fundamentis uſque ad ſtructuram abſolutam fuerunt XLVI completi. Intelliges etiam id, quod dicit angelus: *ædificabitur in anguſtia temporum*, id eſt, ob variis ſtaculis & remoris intervenientibus per complures annos.

Notandum verò, quod non dicit: *ſeptem ſeptimanis ædificabitur platea & murus*: ſed: *ſeptimanis ſeptem*, *& ſeptimanis* LXII *ædificabitur* &c: ſignificat enim, ſeptem primis ſeptimanis ædificandam quidem eſſe plateam & murum, ſed non penitus: plenariam verò reædificationem futuram demum currentibus LXII ſeptimanis: quod etiam ſic contigit. Nam templum quidem abſolutum, & civitas quadantenus inſtaurata fuit ſeptem ſeptimanis per Zorobabelem: Mœnia verò & portæ jacuerunt in ruinis, donec per Nehemiam reædificarentur, incipiente hebdomade XV: anno videlicet triceſimo Artaxerxis, annis à primo reditu CV, à templo reſtituto LVII. Atque hæc de hebdomadibus ſeptem.

Non neſcio, de his etiam aliter diſputari, & ab aliis eas collocari proximè ante CHRISTI mortem, ab aliis poſt eam, ſicut in urbis everſione per Titum terminentur: ſed planè præter Angeli ſententiam, qui eas primo loco collocavit. Itaque retinemus verba Angeli: de opinionibus diverſis aliquid poſtea attingam.

SECVNDO loco memorat ſeptimanas *ſexaginta duas*: bis quidem has nominat, ſemel conjunctim cum primis ſeptem ver. 25: quod cur factum ſit jam dixi: deinde ſeorſum: ver. 26: *Poſt hebdomadas verò ſexaginta duas* &c: Quid intra has præter reædificationem mœnium urbis ſit eventurum, hîc non dicit Angelus: quia

explicavit capite XI. Quid verò poſt eas ſit futurum, Danieli oſtendit: duos nempe tragicos eventus: *primò* adventum & excidium Chriſti: *Excidetur Chriſtus.* Ergo prius tunc manifeſtabitur in carne: poſtea excidetur. Quàm citò poſt LXXII. ſeptimanas excidendus ſit, determinat parte tertia. *Deinde* urbis deſolationem per Titum: Hoc verò quàm citò poſt illas futurum ſit, non determinat: cauſam tantum & atrocitatem deſolationis bis indicat ver. 26. & 27. ſi quæras, ubi ergo terminetur pars iſta hebdomadum *reſpondetur*: In CHRISTI baptiſmo & miniſterio. Huic enim tertiam partem hebdomadum aſſcribit Angelus ver. 27. Ab ædificata igitur platea civitatis, & muro templi abſoluto, uſque ad CHRISTVM in miniſterio revelatum decurrent hebdomades LXII. h. e, anni 434. His ſi addas primam hebdomadum partem, habebis à Cyri edicto uſque ad CHRISTI miniſterium hebdomadas LXIX, h. e, annos 483.

TERTIO loco, miniſterio CHRISTI angelus vendicat ſeptimanam extremam *ſeptuageſimam*: ſed non integram, verum *dimidiam* tantùm: quia in medio ejus Chriſtus fiet victima pro peccatis: h, e, ut prius dixerat, *excidetur*. Dimidia ſeptimana ſunt anni tres cum ſemiſſe. Tamdiu Chriſtus docebit: quod & factum eſt. Nam docuit in annum quartum: à trigeſimo ad trigeſimum tertium ætatis, ſeu à decimoquinto ad decimum octavum annum TIBERII. Si addideris hanc partem ſuperioribus, ab edicto, Cyri ad excidium CHRISTI colliges annos 487. Habes veram & exactam oraculi hujus χρονογραφίαν.

## CAPUT VII.

### *Alia demonſtratio ab incommodis diverſarum ſententiarum.*

HActenus ſententiam expoſitam tum ſcopo tum verbis Angeli conſentaneam eſſe oſtendi. Magis autem veritas ejus confirmabitur, ſi quaſcunque ſententias alias

alias vel in altero horum, vel in utroque deficere: & præterea maxima ex parte hiatum planè irrationabilem inter finem captivitatis & initium hebdomadum in mundi χρονολογίαν invehere manifeſtum fecero. Ordine igitur ſententias ſuprà expoſitas diſcutiam.

PRIMVM LYRA in paſſione Dominica hebdomadas rectè ſanè terminat, niſi quod extremam integram tribuit Chriſto pro dimidia ſicut *Beroaldus*: verùm non rectè in anno quarto Zidkiæ excluſive eaſdem inchoat. Errat enim in eo, quod EXITVM VERBI trahit ad oraculum datum Ieremiæ cap. 25: & ita principium, LXX annorum captivitatis, cum principio LXX hebdomadum manifeſtè confundit: Imo illos in iſtis includit. At hoc neque verba angeli patiuntur, neque fert Chronologia. Angelus enim revelavit Danieli oraculum hebdomadum poſt finitos annos captivitatis: cum non de præteritis, ſed de futuris temporibus erudire voluit: At anni captivitatis, jam præterierant: hebdomades autem futuræ erant: Neutiquam ergo illi in iſtis includi poſſunt: *Adde* quòd à quinto Zidkiæ anno incluſivè uſq; ad CHRISTI excidium non tantùm LXX, ſed minimum LXXIX hebdomades decidendæ fuiſſent ac multò etiam plures, ſi computus Græcorum verus eſſet. Lyrę igitur ſententia, quam etiam Burgenſis tuetur, conſiſtere non poteſt.

ALTERAM ſententiam quorundã Hebræorum Lyra & Burgenſis ſatis refellunt & res ipſa refutat. Quemcunque enim computum ſequamur, à deſtructione templi prima per Nebucadnezarem (unde hebdomadas orditur R. Salomo) uſque ad deſtructionem ſecundam per Titum (ubi vult completas) non duntaxat LXX, ſed minimum LXXXIV hebdomadas invenient. Et quiſnam quæſo EGRESSVS verbi de reducendo &c. circa deſtructionem primam reperietur? Certè nullus Quomodo igitur hoc initium hebdomadum ponetur? quomodo item finis in deſtructione extrema figerur: cum angelus hebdomadas ab exitu verbi, non uſque ad deſtructionem urbis ſed uſque ad CHRISTVM exciſum apertè definiat?

*Tertull. adverſus Iudæ.* TERTIA ſententia fuit TERTVLLIANI quæ, quantum ad initium, uno tantum anno à vero diſcrepat: Inchoans hebdomadas à primo anno Darii Medi quo Daniel vidit viſionem. At EXITVS VERBI de reducendo populo, unde hebdomades initium ſumere oſtendi, non contigit eodem anno, ſed proximo ſequente, qui fuit primus Cyri. Hic vero error levis vel nullus eſt Nam à primo anno Darij Medi excluſive: à primo autem Cyri incluſive verè capiunt initium.

Gravior eſt error in aſſignando hebdomadum fine. LXII hebdomadas & dimidiam terminat in nativitate CHRISTI. Priores vero VII cum dimidia à Chriſto nato uſque ad expugnatam à Veſpaſiano Ieroſolymam extendit. At neutrum cum oraculo congruit. Nam LXII hebdomadas Angelus non primo, ſed ſecundo loco numerari jubet: nec eas in CHRISTO nato, ſed per doctrinam fœderis revelato terminat. Septem vero hebdomadas, quas primo loco collocat, & reductioni populi, nec non ædificationi plateæ ac muri tribuit, in finem traijcere nimis eſt à verbis oraculi alienum imo violentum: Tempus quoque à nato CHRISTO ad urbis everſionem ſeptem hebdomadas cum ſemiſſe longe excedit. Nam juxta Euſebium, Funccium & Mercatorem ſunt anni LXX, h. e. ſeptimanæ decem.

*Clem. lib. 1. Stromat.* QVARTA ſententia, quæ fuit CLEMENTIS quantum ad principium bene habet recte id figens in primo anno Cyri Perſarum Regis: ſed peccat ſimiliter in fine: extendens eum ad Titum & Veſpaſianum imperatores Romanos: cum in excidio CHRISTI terminetur: & intervallum temporis à Cyro ad Titum non ſit tantum LXX, ſed minimum LXXVI hebdomadum. Euſebius in Demonſtratione Evangelica tres refert differentes ſententias: quarum media cum iſta, h. e. cum veritate congruit, quantum ad principium, quod ſtatuit in regno Cyri. Quantum ad finem, procul à vero aberrat. Nam à Cyro numerat hebdomadas VII & LXII, uſque ad Chriſtum, h. e. uſque ad id tempus, quo Chriſti ſeu uncti Pontifices ex majorum ſucceſſione gentis Iudaicæ Principatum & ſacerdotium tenentes deſierunt, *quos* inquit, *CHRISTVM Ducem à Scriptura divina hoſ*

*Euſeb. Dem. 2. lib. 8.*

*na hoc in loco nominari* SVSPICOR. Sic autem interpretatur oraculum: *Ab exitu ſermonis uſque ad Chriſtum Ducem: h. e, à regno Cyri uſque ad Alexandrum Pontificem & Regem Iudæorum quo decedente res Iudæorum ſine Principe, ſine Duce, neminem qui præeſſet habentes, relictæ ſunt: quia tunc Pompejus Romanorum Imperator Ieroſolyma capta, totam gentem Romanis tributariam effecit, ab exitu inquam edicti Cyri uſque ad Pontifices Iudæorum ſublatos à Pompejo, ſeu uſque ad imperium Romanum ſtabilitum in Iudæa, erunt hebdomades VII & LXII, h. e, anni CCCC LXXXIII.*

Hanc ſuſpicionem non eſt quod multis redarguam. Eſt enim è Iudæorum ſynagoga, & vitioſa Græcorum interpretatione petita, tenebras clariſſimæ luci offundens. *Sacerdotes* quidem aliquando vocantur *Chriſti*, ſeu *uncti*: ſed abſolutè, & in ſingulari *Meſsias* ſeu *Chriſtus* nemo vocatur in Scripturarum oraculis, niſi promiſſus ille generis humani ſervator. Et de hoc ſolo Angelum hîc loqui certum eſt *primo* ex ſcopo oraculi ſuprà expoſito. Conſolatur enim Danielem à beneficio duplicis liberationis: uno externæ per Cyrū, altero æternæ per CHRISTVM. *Deinde* ex adjunctis Meſſiæ Vocat CHRISTVM נגיד *Ducem* ſeu *Regẽ*. At ſacerdotes non erant Duces vel Reges jure divino, ſed uſurpato contra legem: quia dignitatem primo ducalem deinde regiam Aſſamonæi contra oracula divina ad ſe rapuerunt, excuſſa tribu Iuda. Neque tunc quidem, cum Daniel acciperet oraculum, de tali Chriſto Duce Iudæi ſomniare potuerunt. *Præterea* tribuit ei opera merè divina, quæ in nullum Pontificem Aſſamonæum cadere potuerunt, quòd conſumturus eſſet peccatum, expiaturus iniquitatem, juſtitiam ſæculorum adducturus, finiturus ſeu complexurus viſiones & prophetias, denique roboraturus pactum novum doctrina Euangelij, & victima corporis ſui aboliturus ſacrificia & oblationes legis & *Præterea* diligenter eſt obſervandum quod dicit, Meſſiam, de quo eſt oraculum, exciſum iri violenta morte. At Alexander Pontificius Iudæorum rex ex temulentia morbo contracto, & triennio integro quartana laborans, tandem exſtinctus eſt, juxta Ioſephum. *Adde* quod poſt hunc Alexandrum ejus vidua Alexandra regnum tenuit annis

*Quod Angelus de Chriſto ſervatore loquatur.*

*Ioſeph. l. 13 Antiq. c. 23.*

annis VIII. Hyrcanus filius Pontificatum geſſit annis IV, uſque ad urbem à Pompejo captam: Deinde à patre Ariſtobulo excuſſus eundem recuperatum Romanorum ope non paucis annis obtinuit, donec tandem ab Herode necaretur. Non igitur in Alexandro Pontificatus ceſſavit, ſed in Hyrcano. *Denique* computus minime congruit cum gloſſa. Ipſe Euſebius in Chronicis à Cyro ad occupatam à Pompejo Ieroſolymam numerat annos CCCC XCV. h. e, LXXI hebdomadas ferè. Quomodo verò hîc à regno Cyri uſque ad captam Ieroſolymam tantùm numerat hebdomadas VII & LXII, h. e, annos CCCC LXXXIII? Relinquenda eſt igitur hæc Euſebii non modò ut incerta, ſed etiam ut parum pia ſuſpicio,

QVINTA ſupputatio fuit ejuſdem EVSEBII à ſecundo anno Darij, quem in Chronico vocat filium Hydaſpis, qui templi ſtructuram continuari permiſerit: uſque ad CHRISTVM exciſum, h. e, uſque ad *Hyrcanum trucidatum* ab Herode, annis ſex ante natum CHRISTVM ſervatorem. Hanc exponit tertio loco in Demonſtrationibus, & videtur maximè approbare: Sed peccat in utroque termino.

Quantum ad principium: male putat inſtauratorem templi fuiſſe, Darium Hiſtaſpis filium, quem Eſdras vocat Ahaſuerum, ſub quo interdictum Artaxerxis nondum fuit laxatum: Eſdr. 4. v. 6. 24. Et quamvis in hoc non erraret: tamen in eo figi initium hebdomadum *primo* non permittit ſcopus oraculi, de quo ſuprà prolixe diſſerui. Nam neque conſolatio, neque certificatio ulla Danielis fuiſſet in verbis angeli, ſi hebdomadas non à proximo edicto quod fuit Cyri ſed ab alio, incertùm quando, pòſt futuro inchoandos intellexiſſet. Hoc enim ſi voluiſſet, non dixiſſet ſimpliciter *ab exitu verbi*: ſed limitatè *ab exitu verbi ſecundi*: ſecus æquè incertum futurorum reliquiſſet Danielem ac fuerat prius. *Deinde* verba angeli edicto Darij non congruunt. Promittunt enim Egreſſum verbi de reducendo populo: At edictum Darij tantum fuit laxatio interdicti de ædificando templo. *Tertio* Euſebius annos LXX captivitatis cum annis hebdomadum confundit, dùm ſecundo demùm anno

Hiſtaſpis

Hiſtaſpis illos finit, quos primo anno Darij Medi finitas fuiſſe ſupra ex Dan.9. 2. evidenter oſtendi. *Denique* hiatum XL annorum inter primum annum Cyri & inter hebdomadum initium abſque ratione in Chronologiam ſacram invehit, de quo poſtea etiam dicetur. Nam in duos hoſce Scopulos omnes quæ ſequuntur ſententiæ impingunt, quod ſcopum oraculi evertunt, & hiatum annorum planè irrationabilem in Chronologiam ſacram important. Quod porrò hebdomadas terminari dicit in Hyrcano ab Herode necato, eſt Iudaica corruptela, neque cum oraculo, neque ſecum conveniens. Quis enim Hyrcanum hominem tam regno quam ſacerdotio ineptiſſimum crediderit vocari ab Angelo MESSIAM Ducem, fœderis roboratorem, & ſempiternæ authorem juſtitiæ? Non magis ſane in iſtum quàm in patrem ejus Alexandrum, de quo paulo ante, oraculum ulla ſpecie congruit. Etſi autem Euſebius in Demonſtrationibus inter ſecundum annum Hiſtaſpis & necem Hyrcani faciat hebdomadas VII & LXII, ſeu annos CCCC LXXXIII: tamen in Chronico ſibi non conſtat: ubi annum ſecundum Darij ſeu templi reædificationem figit in anno primo Olymp. CXCIII: quod intervallum annorum eſt DXII, & conficit non tantum VII & LXII, ſed LXXXIII hebdomadas, cum anno uno. Quin Euſebium vacillare in hoc ſuo termino exitus: oſtendit illud, quòd hebdomadas LXIX modò ad Hyrcanum regulum Papalem Iudæorum ab Herode necatum: modo indefinite uſq; ad annum XV. monarchiæ Romanorum Auguſti numerat: conſtat autem juxta ipſiusmet computum, Hyrcanum nec decimo quinto anno Auguſti, ſed triceſimo ſexto: nec primo anno Herodis, ſed viceſimo ſexto necatum fuiſſe.

*Sexta ſententia Bibliandri expenditur.*

SEXTA ſententia fuit Theodori BIBLIANDRI qui hebdomadas numerat à triceſimo ſecundo anno Darij Hiſtaſpis filij, ſeu à mœnibus Ieroſolymæ per Nehemiam reparatis, uſque ad annum natalem CHRISTI. Hæc ſententia quantum ad principium, præter duo communia illa incommoda, quòd in ſcopum oraculi impingit, quodque hiatum LXX annorum inter finem captivitatis & initium hebdomadum nulla probabili ratione,

ratione, ut poſteà oſtendetur, invehit: alia etiam duo hiſtorica incommoda incurrit: quorum *unum* eſt, quod rex ille, qui Nehemiam ad reparanda mœnia dimiſit, nulla authoritate probatur fuiſſe Darius Hiſtaſpis. Eſdras enim vocat Artaxerxen, & à Dario templi inſtauratore diſtinguit tanquam longè poſteriorem: ſive is fuerit Artaxerxes Memor, ſive alius, de quo poſtea. Hoc ſanè liquet ex Eſdræ hiſtoria, Nehemiam & Eſdram veniſſe Ieroſolymam ſub Artaxerxe, jam vita functis Zerubabele & Iehoſua, qui ſub Dario templum ædificaverant. Ergo hic Darius idem cum illo Artaxerxe eſſe non potuit. *Alterum*, quòd triceſimo ſecundo anno ſive Darij ſive Artaxerxis, nec murus demum fuit reparatus, (quippe aliud colligi ex hiſtoria Eſdræ non poteſt, quàm Nehemiam viceſimo Artaxerxis anno menſe primo, ſimulac Ieroſolymam veniſſet, ad muros & portas inſtaurandas ſeſe accinxiſſe, opuſque intra ſemeſtre, menſe Elul. h. e, ſexto, quinquaginta duorum dierum ſpatio perfeciſſe: Neh. 2. 1. & 6. 15) nec edictum ullum regis de reducendo populo promulgatum fuiſſe legitur. Epiſtolam verò Artaxerxis ad Aſaph cuſtodem pomarij regij, ut darent Nehemiæ ligna ad contignandas portas &c, ad EGRESSVM verbi, de quo eſt in oraculo, accommodare perjejunum videtur.

Terminum porro hebdomadum in natali Meſſiæ ſtatuere, verba oraculi nulla ferunt ratione. Expreſsè enim dicunt, Meſſiam poſt hebdomadas VII & LXII cum dimidia excidendum eſſe. In natalem igitur tribus annis incompletis præceſſit, non ſeptuageſima ſexta hebdomada incurrit. Namque hæc etiam ſententia, neque quo ad metam hebdomadum conſiſtere poteſt.

*Septima Supputatio Tremellii. Ex Prælectionibus D. Tremellij in Danielem.*

SEPTIMA ſupputatione qui fuit Lutheri Melanchthonis & Emmanuelis Tremellii in prælectionibus Danielis, hebdomades LXIX à ſecũdo anno Darii lõgimami in Baptiſmo: ſemiſſis ſeptuageſimæ in paſſione CHRISTI complentur. Rem non ingratam Lectori me facturum arbitror, ſi integrum hebdomadum computum, pro ut anno 1570. in Danielis interpretatione ex ore D. TREMELLII excepi, obiter hîc inſeram: donec fortaſsè notę textuales, quas in pleroſque Prophetas minores ex ipſo

ipſo habeo haud contemnendas, lucem aliquando mereantur. *Quidam*, inquit, *ſumunt initium ſeptimanarum à primo Cyri edicto de reditu populi. Alij à ſecundo edicto Darij Longimani de inſtauranda urbe. Primum edictum incidit in primum annum Monarchiæ ſub Cyro. Qui ab hac incipiunt, in ipſa nativitate: qui à ſecundo, in Baptiſmo Chriſti* LXIX *ſeptimanas complent. Poſterior ſententia placet. Sequimur autem Metaſthenem in annorum ſupputatione hoc modo.*

| | |
|---|---|
| *Darius Medus & Cyrus ſimul regnarunt annis* | 2. |
| *Poſtea Cyrus partim ſolus partim cum filio Cambyſe ann.* | 22. |
| *Artaxerxes Hiſtaſpis filius, qui fuit Ahaſuerus maritus Eſther.* | 20. |
| *Darius Artaxerxes Longimanus* | 37. |
| *Hujus anno ſecundo promulgatum eſt edictum, unde ſeptimanæ incipiunt.* | |
| *Darius Nothus ann.* | 19. |
| *Artaxerxes Mnemon ann.* | 55. |
| *Darius Ochus ann.* | 26. |
| *Darius ultimus, quem interfecit Alexander* | 6. |
| *Hi anni à promulgato edicto Longimani, ſunt* 146. | |
| *Alexander poſtea monarchiam tenuit annis* | 7. |
| *Ab Alexandro ad Iudam Macchabæum anni ſunt* | 146. |
| *Inde ad Herodem Aſcalomiam Antipari filium anni* | 127. |
| *Herodes ante Chriſtum natum regnavit in Iudæâ annis* | 30. |
| *A Chriſto nato ad ejus Baptiſmum ſunt anni* | 30. |
| *Hi anni ab Alexandro ſunt* 340. | |

*Quibus additi* 145. *Perſici anni conſtituunt annos* 485. *His tamen duo decedunt, ut maneant* 483: *quia anni Regum non ſemper fuerunt completi. Sic hebdomades* LXIX *completæ ſunt à ſecundo anno Longimani uſq; ad Baptiſmum Chriſti. Vltima media debetur miniſterio Chriſti, quod in quartum annum duravit. Et ſic uſque ad mortem Chriſtum ab initio hebdomadum erunt anni* 487. Hactenus Tremelliana Supputatio. Terminus bene habet. Sed initium non magis cum ſcopo & cum verbis oraculi conſiſtit, quam in proximis duab. ſententiis. Præterea hiatum, & ipſa, quadraginta quatuor annorum à primo anno Cyri ad ſecundum longimani in Chrouologiam ſacram abſque neceſſitate importat, qui cum ſarciri nulla certa

ratione

ratione poſſit, ſane & ipſa hebdomadum revelationem, quantum ad mundi computum prorſus inutilem nobis reddit. De aliis autem vitiis hujus computi patebit infrà.

*Octava ſententia Funccij diſcutitur.*

OCTAVA ſententia erat Iohannis FVNCCII ordientis hebdomadas anno ſeptimo Artaxerxis Longimani, à miſſione Eſdræ, & finientis eaſdem integras anno proximo ante mortem CHRISTI. Hanc pleriſque hodie quaſi benè certam placere video. At quo argumento? Quia Angelus dicit, ab eo tempore incipiendas eſſe ſeptimanas, quo Ieroſolyma liberè & habitari, ædificari, & ἀυτονομία uti Iudæis ſit conceſſum. Hoc autem privilegium Eſdras ab Artaxerxe Longimano accepit: ſicut ſcribitur Eſdr. 7. *Tu autem Eſdra ſecundum ſapientiam Legis Dei tui, quæ eſt in manu tua, conſtitue Iudices, & cauſidicos, qui judicent univerſum populum qui eſt trans flumen, omnes qui norunt Leges Dei tui, & eum qui non noverit, docebitis.* Ergo ab hac miſſione Eſdræ ſeptimanas inchoari conſentaneum erit.

*Funcc. Comm Chron. lib. 2.*

Cæterum quod eorum, quibus ita videtur, pace dixerim, nihil hac ratiocinatione eſt infirmius: quoniam neutra præmiſſarum veritati congruit. Si enim ſpectemus propoſitionem, unde quæſo eam probabunt? Atqui in iis ſeptimanæ inchoari jubentur ab EXITV VERBI de reducendo populo & de ædificanda urbe. De libera habitatione vel de ἀυτονομία Iudæorum nihil plane meminerunt. Aut ſi de hac etiam Angeli verba loquuntur, quidni ad Cyri edictum multò potius pertineant? Id enim expreſsè fuit, primum de reditu univerſali totius populi, Eſdr. 1. 3. *Quis eſt inter vos de univerſo populo ejus? aſcendat in Ieruſalaim &c.* Deinde de inſtaurando templo: Ibidem: *Et ædificet domum Iehovæ Iſraëlis &c.* Tertio etiam de reparanda ac liberè inhabitanda, & ſuis legibus gubernanda urbe, ex conſequenti. Quid enim templum ſolitarium abſque urbe? Et reduces ſtatim cœperant reparare urbem, & libere inhabitare domos: ut ſuprà ex Eſdræ hiſtoria & Haggæi prophetia eſt demonſtratum. Ergo haud dubie ex edicto Cyri repararunt. De ἀυτονομία Iudæis per Cyrum relicta vel reſtituta teſtatur *primùm*, quod is Zerubabelem

lem & Iehoſuam duces populo reduci præfecit: quibus alij novem principes adjuncti fuiſſe leguntur. Eſdr. 2. 2. Quorſum verò, niſi ut ſuis legibus conſtituerent & adminiſtrarent Rempublicam? *Deinde* quòd Darius Cyri edictum repetitum confirmavit. At edicit Darius apertè, non modo ut ſacra faciant Iudæi juxta legem ſuam in templo pro regis ſalute, ſed etiam ne quiſquam ex præfectis tranſ-flumentanis eos ulla re impediat. Eſdr. 6. v. 3. 10. 11. Hoc quid aliud fuit, quàm αὐτονομίαν Iudæis concedere?

Iam ſi aſſumtionem ſpectemus, accepit quidem Eſdras ab Artaxerxe poteſtatem reducendi reliquias Iudæorum, & conſtituendi judices, denique docendi legem Dei cum ſcriba eſſet, ſed major pars populi jam ante cum Zerubabele dimiſſa fuerat. Nec cogitandum, nullos ante Eſdram judices habuiſſe Iudæos reduces: ſed hæc poteſtas ei datur, quia Zerubabel & Iehoſua tunc fuerant mortui: quod non obſcurè colligitur ex Eſdr. 8. 33. & Neh. 12. 12. Denique ædificandæ aut habitandæ urbis in edicto Artaxerxis ad Eſdram nulla prorſus fit mentio. Viderint ergo alij, quàm ſit firma hæc demonſtratio. Mihi ſane non videtur. Atque hæc ad labefactandam ſententiam iſtam ſufficerent: ſed ſunt alia graviora.

Si hæc fuit mens Angeli, ab EXITV verbi ſeu edicti non primi, nec ſecundi, ſed demum tertij fore hebdomadum exordium: qui quæſo id divinare potuit Daniel, angelo non revelante? Quid vero intelligere Danielem fecit angelus de adventu MESSIÆ, ſi exordium temporis deciſi ei non revelavit? Non magis certè, quam ſi quis diceret, ab obitu CLEMENTIS Papæ ad Papatus ruinam deciſos eſſe decem annos: Intelligeret vero non obitum Clementis moderni Papæ, ſed neſcio cujus alterius aliquando futuri hoc nomine. Ergo hæc ſententia ſcopum oraculi eludit, & hebdomadas tunc deciſas ad CHRISTVM computo ſacro planè inutiles reddit.

*Adde* quod eadem intra finem LXX annorum captivitatis & principium LXX hebdomadum hiatum LXXX annorum in Chronologiam ſacram inducit: nullâ alia cauſâ, niſi quia de Perſarum regno & regibus, Herodoto

potiùs & Thucydidi, quàm ſacræ hiſtoriæ credendum eſſe autumant. At hanc cauſam nullam, imò indig..., eſſe nobis Chriſtianis, cur ſacræ Chronologiæ catenam laceremus, etſi per ſe ſit manifeſtum, tamen capite ſequente dilucidius oſtendam.

*Denique* quod hæc ſententia Artaxerxem facit Longimanum, quem alias vocant Darium, incommodo hiſtorico non videtur carere. Non eſt credibile, Eſdram cum ſeptimo Artaxerxis anno mitteretur cum plenis mandatis, ad conſtituendum cultum & rempublicam, in Iudæam, admodum fuiſſe adoleſcentem: ſed fuiſſe virum ætate & ſapientia florentem planè eſt conſentaneum. Vidit autem Eſdras Iadduam Pontificem, quia nominat eum in catalago Pontificum Nehem. 12.22. Iam cum, juxta Funccium, à ſeptimo anno Artaxerxis Longimani ad primum annum Pontificatus Jadduæ ſint anni 102, alterutrum ſequitur de Eſdra: vel eum, ſi cum mitteretur ſaltem vir erat trigenarius, tempore Iadduæ jam fuiſſe 130 annorum, quæ ætas tunc planè erat inſolita: vel ſi ſaltem Moſis ætatem, grandem ſane & inſuetam 120 annorum tunc habuit: eum in miſſione fuiſſe adoleſcentem octodecim annorum, quæ ætas nec legi ſacerdotali Num. 4. 3. nec legationi tàm arduæ conveniebat.

*Nona ſententia Africani Lucidi, Pererij &c.*

NONA ſententia orditur hebdomadas à viceſimo anno ejuſdem Artaxerxis Longimani: ſed diſſimiliter eas terminant, qui hanc ſententiam ſequuntur. Ex recentioribus Lucidus & Pererius rectè metam figunt LXIX hebdomadum in baptiſmo CHRISTI, qui fuit XV anno Tiberij, quando CHRISTVS inciperet eſſe annorum triginta: dimidiæ ultimæ in ejuſdem paſſione & morte, per quam vere defecit hoſtia & ſacrificium veteris legis. Ex veteribus verò Africanus lib. 5. de Temporib. apud Euſebium, inchoat etiam à 20. anno Artaxerxis, ſeu ab exitu verbi de inſtauranda urbe per Nehemiam, quem ait fuiſſe 115. annum imperij Perſarum. Inde uſque ad decimum ſextum annum Tiberij excluſivè, ſeu uſque ad baptiſmum Chriſti, ubi LXX. hebdomadum figit metam, numerat annos lunares 490, ſolaribus 475, reſpondentes. De hoc

*Euſeb. Demon. 2. lib. 8.*

computo

computo prius aliquid dicam: poſtea exordium perpendam.

*Primò* hebdomadas LXX, ante exciſum CHRISTVM complere, verba oraculi minimè patiuntur, ut ſæpius jam eſt oſtenſum ſed hoc omiſſo lunares annos Hebræisante Alexandrum receptos fuiſſe probari non poteſt. Diverſum ſuprà oſtendimus: vixque aliquis tam eſt imbecillis judicij, cui id ex hiſtoria diluvij liquere non poſſit ſive jam Nohæ, ſive demum Moſis temporibus illa menſium annique ratio, quæ Genes, 7. v. 8. reperitur, obſervata fuiſſe dicatur. Videatur Scaliger de emendat. Temp. lib. 3. Item Chriſtmannus *de Calend. Hebræorum*. Per ſolares igitur annos Lyra eundem computum aſtruere ex Ioſepho nititur. Sed quàm paſſim ſit lubrica, paſſim hiet Ioſephi Chronica notatio, etiam me tacente lectores obſervare poſſunt. Certè unius aſſis facienda vix videtur, non tam authoris quàm librariorum culpâ, quos modo Hebræorum mox Græcorum corruptos numeros paſſim inſparſiſſe, cujus id obſervanti apparet. Vt ut ſit, ad principium hebdomadum veniamus.

Id in 20. anno Artaxerxis Longimani, ſeu in 115. anno Perſicæ Monarchiæ ſtatuere, neque inſtitutum Angeli, neque verba permittunt: Quomodo enim vel unde quaſi divinare poterat Daniel, angelo id non revelante, poſt 115. annos ſeu poſt ſedecim & amplius hebdomadas demum fore LXX. hebdomadum uſque ad CHRISTI excidium definitarum initium? Quod ſi initium ignorabat, ne tempus quidem ſciebat: Nihil igitur angelus eum intelligere fecit, nihilque eſt conſolatus. Atqui dicit angelus: *Intelligere faciam te intelligentiam*. Primum igitur & principalem uſum oraculi hæc ſententia evertit.

Evertit etiam alterum uſum hiſtoricum, ut per LXX. hebdomadas Chronologia ſacra nequeat continuari uſque ad Chriſtum: quia lacerat initium hebdomadum à fine captivitatis hiatu 115. annorum, nulla ratione, niſi fabuloſis Perſicæ monarchiæ annis, probabilem. Quomodo ultro eſſet probabilis, cum etiam quis fuerit ille Artaxerxes, Chronologi certent, & adhuc ſub judice

dice lis ſit,ſed & verbis angeli nihil congruit. Potius enim dicendum erat LXXXVI hebdomadas eſſe deciſas ſuper populum, & urbem ſanctam uſque ad CHRISTUM: ſi vera eſſet hæc opinio.

*Adde* quod angelus principium figit in EXITV VERBI de reducendo populo & ædificanda urbe. Artaxerxis verò edictum fuit quidem de reparandis mœnibus, portis & palatijs urbis, Neh. 2. 8: at de populo reducendo nihil habet: neque Nehemias magno cum comitatu Iudæorum rediiſſe legitur. Non igitur de Artaxerxis edicto loquutus eſt angelus.

Fallitur proinde PERERIVS approbans iſtam opinionem hoc argumento, *quod quæcunque Gabriel docet de initio LXX hebdomadum: ea omnia præſtet & repræſentet iſta ſententia:* Nihil certè minus: quomodo enim præſtat, quod dicitur de hebdomadibus LXX: cùm pro his ſtatuat LXXXVI? Quomodo quod dicitur de reducendo populo, cum hujus ne meminerit quidem, & reductio populi 115. annis præceſſerit? At ſtatuitur ab Angelo initium in edicto de reædificanda urbe. Imo etiam de reducendo populo: quoniam hoc proprium fuit Cyri, illud Artaxerxi cum Cyro commune. Nam & hic dederat poteſtatem ædificandæ urbis, quod ſuprà liquidò probavi: & Pererius inficias ire non poteſt, etiam ante Nehemiam fuiſſe ædificatas domos urbis, ſed negat habuiſſe formam civitatis: quia fuerint inconditè & inordinatè factæ. At unde hoc ipſe habet? Plus credendum eſt Eſdræ, qui paſſim vocat VRBEM & PLATEAS VRBIS etiam ante Nehemiam: & Haggæo Prophetæ, qui teſtatur Iudæos etiam ante ſecundum annum DARII inſtauratoris templi Heroſolymis habitaſſe in domibus tabulatis.

*Peret. in Daniel pag. 598*

*Hagg. 1. 4.*

*Decima opinio Sulpitij & Scaligeri examinatur.*

DECIMA & poſtrema opinio erat eorum, qui hebdomadas inchoant à ſecundo anno DARII NOTHI, templi, ut ipſi volunt, inſtauratoris: terminant verò in everſione Ieroſolymæ per Romanos, vel paulò antè. Neque enim conveniunt, ſed tot modis ab invicem, quot à veritate ipſa diſcrepant, nempè in principio, fine, & articulis hebdomadum.

*Quod principium hebdomadum in ſecundo anno*

PRINCIPIVM quod attinet, in rege quidem Templi inſtaura-

inſtauratore & in ſecundo ejus anno inter ſe & cum ſententia quinta atque ſeptima conveniunt, ſed diſſident in nomine & individuo regis. Nam Templi inſtauratorem Sulpitius vocat Darium Ochum, SCALIGER Darium Nothum, ſententia quinta Darium Hiſtaſpis, ſeptima Darium Longimanum: qui quatuor diverſiſſimi fuerunt Perſarum Reges juxta Græcos. Diſſident etiam intervallo temporis: quod faciunt inter primum Cyri & alterum Darij edictum. Sulpitius enim numerat annos 141. cum menſibus quatuor. Scaliger annos 107, *Opus*, inquit, *templi à reditu Iudæorum & fundamentis jactis ad ſecundum annum Darij Nothi intermiſſum per annos* 107. Quinta ſententia tantùm 40, ſeptima 44. annos ſtatuebat.

*Darij Nothi figi non poſſit.*

*Scaliger lib. 6. de emend. temp.*

Vtut verò de conſenſu circa principium res habeat. hæc ſententia de Dario Notho conſiſtere nequit ob plurimas difficultates: imò abſurditates, quas ſecum trahit ingens ille temporis hiatus, quo hebdomadum initium à captivitatis termino laceratur. Non repetam communia omnibus opinionibus, quæ hebdomadas à Cyri edicto avellunt, incommoda. Ea omnia tantò apertius hæc opinio incurrit, quantò hiatum vaſtiorem inducit: ut uſus oraculi ſuprà demonſtrati prorſus nulli ſint. Nihil Danielem anxium conſolatus eſt Angelus, ſi de libertate populi patriæque non præſenti, ſed olim poſt 100. & amplius annos futura nuncium ei attulit. Quin tali nuncio fidem ejus prorſus evertit: quippe Ieremiæ promiſſionibus palam contrario. At falſum & abſurdum utrumque. Nihil de adventu Meſſiæ eum intelligere fecit, ſi hebdomadas tanto tamque occulto temporis hiatu à fine captivitatis ſeparavit: nec tamen de hoc quicquam eum monuit. Falſum verò hoc quoque: cum dicat ipſe: *Et intelligere fecit me*. Nihil deniq; hebdomades deciſæ uſque ad CHRISTVM momenti jam habent, ſed prorſus ſunt inutiles ad Chronologiam ſacram, ſi datur tam vaſtus hiatus. Sed & hoc falſum. Mitto inquã hęc cõmunia. Abſurditates proprias vide, in quas authores ſuos hiatus iſte neceſſariò præcipitat.

PRIMO demus, Zerobabelem Ducem cum exædificaſſet Templum ſexto Darij anno, ætatem Moſis habuiſſe,

*Abſurditates huius opinio-*

iſte, vel etiam aliquot annis (ut poſtulat author) ſuperaſſe, puta annos 120 vel 125. Hæc ætas decrepita & rara eſt: nec magnis rebus agendis, cujuſmodi erat Templi ſtructura, valdè idonea. Ex concionibus ſanè Haggæi & Zachariæ tantam Ducis ſenectam obſervare non licet. Sed demus tamen. Deme ab hac ejus ætate hiatum centum & undecim annorum (tot enim erunt à Cyro ad abſolutum templum) Habebis Ducem puerum novem vel quatuordecim annorum in egreſſu ex Babylone: quo quid magis ridiculum? Imo deme ab ea, ſi potes, hiatum Sulpitii: habebis tunc Ducem nondum embryonem exiſtentem: quo quid abſurdius?

SECVNDO fingamus Ieſuam Pontificem, qui ipſe quoque exædificationi Templi præfuit, fuiſſe tunc ætate aliquanto etiam majorem, puta annorum 130. Fictio certè ita liberalis, ut magis liberalem nemo queat expoſcere. Deme ab hac etiam ætate hiatum centum undecim annorum. Habebis in egreſſu è Babylone adoleſcentem 19 annorum Pontificem. Quis vero credat duobus adoleſcentibus tantam provinciam (de qua Eſd. 1.) à Cyro impoſitam? Imò quis credat, Ieſuam ea ætate Pontificem egiſſe, qua per legem, ne quidem ſacerdoti eſſe licuit: Num. 4. 3.? Vides abſurdum alterum. Quin deme, ſi potes, ab ea ætate hiatum Sulpitii: & Ieſuam videbis in egreſſu nondum fuiſſe in rerum natura. Evincit hoc liquido, nec lacunam quam faciunt, conſiſtere, nec Templi inſtauratorem Darium Nothum eſſe poſſe. Sed pergo.

TERTIO ſenioribus, qui prioris templi majeſtatem viderant, poſterius vero a Zorobabele abſolutum vilipendebant, teſtante Haggæo cap. 2. 4. tribuamus ætatem haud paulo majorem puta annos 160. Hæc etiam fictio tam eſt liberalis, ut vero vix videatur conſentanea. Neque enim juvat hic jactitare *Iohannem de Temporibus*, aut quodvis aliud ſilicernium, quod ſit longævitatis humanæ documentum. Nam una hirundo non facit ver: nec à ſingulari ad ſingulare benè concluditur. Sed fuerint ſane illi tam grandævi. Deme ab eorum ætate annos 59. captivitatis, qui

qui ſunt à templo e verſo ad Cyrum : hiatum item centum undecim annorum à Cyro ad templum abſolutum. Videbis ſeneciones illos decennio poſt templum everſum demum hanc lucem aſſpicere cœpiſſe. Quomodo igitur ejus templi gloriam viderant, & præ ea ſtructuram ſecundi vilipendebant? *Quis eſt ex vobis reliquus* (inquit Propheta) *qui viderit domum iſtam in gloria ſua priore? & qualem videtis eam nunc? nonne ſic eſt, ac ſi nihil eßet in oculis veſtris?* Non ſunt hæc verba optantis: *O ſi quis veſtrum vidiſſet!* Nihil minus. Hoc eſt fucum quærere in re aperta. Sunt verba aſſerentis, aliquos eorum vidiſſe: alioqui fruſtra ad comparationem eos vocaret, & exprobraret, quod hæc domus tanquam nihil eſſet in oculis eorum. Supponit ergo, quoſdam ſupereſſe qui cùm majeſtatem prioris domus vidiſſent, hanc domum præ ea vilipenderent: Horum vero judicium corrigit promiſſione oppoſita: *Major erit gloria Domus hujus poſterioris* & verſ. 10. Et ex noſtro quidem computo poterant ſupereſſe aliqui ſeniculi annum 115 agentes, qui olim pueri decennes Templum à Babyloniis everſum vidiſſent, rectèque meminiſſent. Nam inter everſionem atque inſtaurationem templi abſolutam interceſſerant anni tantùm 105. At hiatus iſtorum requireret in his minimùm Iſaaci ſenectam 180 annorum: quã tamen nemo patrum poſt eum attigiſſe legitur. Apparet, in quas difficultates hiatus ille authores ſuos conjiciat. Quare Darius ille Templi inſtaurator aliquis ante Nothum fuerit neceſſe eſt. Argumenta pro Notho infirma ſunt.

*Hagg. 2, 4.*

AIUNT: Darius Nothus fuit ſeptimus Perſarum rex, ſtipatus duobus Artaxerxis Memore & Macrochire. At Eſdras Darium Templi inſtauratorem memorat inter duos Artaxerxes. Ergo eſt Darius Nothus. RESPONDEO Nimis elumbis eſt hæc ὀνοματώδης conjectura. Nec prius ex Eſdra, nec poſterius ex Græcis ſatis probari poteſt. Artachſaſta enim, qui primus templi ſtructuram inhibuit apud Eſdram, præcedit quidem Darium inſtauratorem: ſed non immediate: verum per ὑστέρωσιν poſtponitur Ahaſvero, quo tamen fuit prior: quia teſtante Ioſepho is fuit Cambyſes Cyri ſucceſſor &

*Ad argumenta pro Dario Notho reſponſio.*

I.

*Ioſeph. lib. 11 cap. 3.*

& filius. Et juxta Sulpitium plurimoſque Græcorum, Nothus non eſt ſtipatus duobus Artaxerxis, ſed Sogdiano & Artaxerxe, non ſeptimus ſed nonus à Cyro. Sed de ſerie regum Perſicorum paulò poſt.

II. AIVNT: Darius apud Eſdram jubet Bibliothecas & Archivorum forulos diligenter excuti, ut edictum Cyri de reditu Iudæorum reperiatur. Id omninò indicat, rem vetuſtiſſimam fuiſſe edictum illud, & ante memoriam eorum hominum qui tunc vivebant emiſſum: utpote cum ejus rei teſtes nulli ſupereſſent in rebus humanis. RESPONDEO conjectura probat, à Cyro ad Darium fuiſſe magnum intervallum: ſed non probat, fuiſſe 107. annos. An hoc rarum in crebris regnorum mutationibus, principes ſucceſſores ignorare decreta prædeceſſorum ante 20, 30, 40 annos edita, & monitos de his præcipere Archivorum forulos excuti: ſive tunc aliqui ſive nulli eorum teſtes ſuperſint? Diplomatibus enim plus creditur in Archivis, quàm teſtibus: Cauſa igitur diſcuſſionis tam diligentis non fuit, quòd edictum Cyri tunc ſuperaret omnium hominum memoriam (certè Zerobabel & Ieſua nondum tunc erant exemti rebus humanis) ſed quòd Regi novo & ejus conſilariis ac miniſtris ignotum eſſet. Nec mirum. Incercеſſerant à Cyro ad Darium Inſtauratorem mutationes regni quatuor vel quinque. Abierant anni plus qnam 40. ſatis magnum hoc intervallum ad forulorum excuſſionem. Quare Inſtauratorem Templi non Nothum ſed potius Longimanum fuiſſe ſequitur, ut poſteà docebitur.

III. AIVNT: à fine hebdomadum ad initium citra errorem perveniri poteſt: quia de fine conſtat, quòd terminentur in excidio urbis. Inde autem retrorſus numerando LXX hebdomadas ſeu annos 490, initium rectè incidet in ſecundum annum Darii Nothi. RESPONDEO *Primò*, tantum abeſt ut de fine conſtet (id quod tot diſcrepantes ſententiæ ſatis oſtendunt) ut ne quidem iſtius opinionis approbatores de eo conſentiant: alii ſiquidem in ipſa everſione urbis, alii quadriennio antè, hebdomadas finiunt, ut mox dicetur. Sic igitur petitur principium, cum ex fine dubio initium dubium inveſtigare

ſtigare jubemur. *Deinde*, conſtet ſanè de fine, ut certè cõſtare oportebat ex tam claris angeli verbis: VSQVE *ad* CHRISTVM. At cui perſuadebunt, angelum remittere Danielem ad ignotius, ut inde intelligat ignotum? Ignotum erat Danieli, inſtare edictum Cyri de liberatione populi & inſtauratione urbis. At longè ignotius, CHRISTVM occidendum, urbem deſtruendam per Romanos poſt LXX hebdomadas. Non igitur voluit eum ex hoc fine ignotiore principium ignotum intelligere. Hic enim docendi modus præpoſterus eſt, & naturæ adverſarius, quæ mentem noſtram perpetuò à notiore ad ignotius dirigit. Nos quidem, qui nunc habemus eventus, uti compendio hoc poſſumus. Sed hæc cognitio eſt ex accidenti & ut res loquitur, fefellit omnes, qui ex fine per articulos profanæ hiſtoriæ quæſiverunt principium. Daniel verò hac methodo uti neutiquam potuit: neque quiſquam piorum ante Chriſtum. Non igitur fuit de mente Angeli, ut ex fine demum Principium inveſtigaremus: ſed ut principium & finem à ſe clare indicatum obſervaremus, cum dixit: *Ab exitu ſermonis de reducendo populo & ædificanda Ieroſolyma uſque ad CHRISTVM Ducem ſunt hebdomades ſeptem & ſexaginta duæ, & una &c.* Audis principium In exitu edicti de reducendo populo & Audis finem in CHRISTO Duce. Quid opus eſt ſtrophis? *Denique* nihilo ſolidius iſti ex ſuo fine ſic colligunt pro ſuo principio, juxta principem hujus opinionis: Ab excidio urbis ad ſecundum Darii Nothi ſunt anni 490: Ergo ibi eſt hebdomadum initium: quàm alii pro ſe etiam colligunt: A Chriſto exciſo ad ſecundum Darii Hiſtaſpis aut Longimani, vel ad Eſdræ aut Nehemiæ miſſionem, ſunt anni 490, Ergo hîc figendum initium. Nam hic numerus LXX hebdomadum à quovis termino ad quodvis principium retrorſum ſumi poteſt, ſed non quodvis mox congruit oraculo. *Adde* quod & illi & iſti fere annos numerant, prout calculus competit ipſorum abaco. Funccius quidem à ſecundo anno Nothi præcisè dat annos 490: At ex Sulpitii calculo non invenies niſi 483. juxta Euſebium 493. juxta authorem emendationis temporum minimum 494. Nihil igitur

in his ratiunculis firmi habemus. De principio ſa-
tis.

An hebdomades in excidio urbis finiantur DE FINE nunc videamus. De hoc etiam authores non conveniunt. Sulpitius Severus LXIX. hebdomadas ſeu annos 483. terminat in ipſa everſione urbis: & ſic alij, qui eum ſequuntur. SCALIGER paulò aliter: *Hebdomades*, inquit, *incipientes ab edicto inſtaurandi templi deſinunt initium abominationis, h.e, circa initia belli Iudaici, quo primum cædes in urbe patrari cæpta ac Templum pollui. Quod tempus incurrit in finem undecimi & initium duodecimi anni Neronis ut author eſt Ioſephus.* Iuxta hunc igitur ſeptimanæ terminantur anno quarto vel quinto ante expugnatam urbem. Nam duodecimo Neronis Iudæi tumultuari occeperunt adverſus Florum præſidem Romanum: miſſuſq; eſt Veſpaſianus cum exercitu in Iudæam. Decimo tertio Neronis Eccleſia monitu oraculi migrat in Pellam relicta Ieroſolyma: author *Euſebius l.3. hiſt. Eccl. cap.* 5. Decimo quarto Neronis Romani Galilæam bello ſubigunt, proximo anno, qui erat primus Veſpaſiani, Titus Ieroſolymam obſidet. Sequente demum vi expugnatam cum templo exurit.

*Lib.2. ſacræ hiſt.*

*Scalig. lib.6. Emend Tempor.*

Sed ut ut rurſus ſit de conſenſu: finem hebdomadum ad excidium uſque urbis extendere non ſinunt clariſſima oraculi verba. *Primò* ver. 24. Angelus dicit: *LXX. hebdomadæ deciſæ ſunt ſuper populum tuum & ſuper urbem ſanctam tuam*, non, ad excidendum populum & urbem: *ſed ad finiendam prævaricationem & ad conſumendum peccatum & expiandum iniquitatem, & ad juſtitiam ſeculorum adducendam & finiendum viſionem & Prophetam, & ungendum ſanctum ſanctorum.* Hæc eſt periphraſis non excidij urbis aut populi, ſed excidij & mortis Chriſti, à præcipuis ejus effectis & beneficiis. Nam hæc omnia in morte Chriſti verè completa eſſe, ex Evangelio conſtat. Tunc verè finita eſt prævaricatio, conſumtum peccatum, expiata iniquitas, parta juſtitia ſeculorum, finita viſio & prophetia, ſanctum ſanctorum ſanguine Meſſiæ unctum, clauſum & conſecratúm eſt. Heb. 9. 11. In his autem ſtatuitur terminus hebdomadum: Nam litera Lamed, in his gerundiis

diis ſignificat *uſque ad*, interprete Tremellio. Hebdomades igitur ultra finitam prævaricationem & partam juſtitiam ſeculorum h, e. ultra Chriſti mortem non extenduntur. *Secundò* clariùs & diſettiùs ver. 25. angelus in terminum hebdomadum digitum intendit, cum dicit: *Vſque ad CPRISTVM Ducem*, nuſquam dicit: *uſque ad excidium urbis*. *Tertio* apertiſſime ver. 26. hebdomadas ſeptem & ſexaginta duas terminat in morte Chriſti: *Poſt ſeptimanas, inquit, ſexaginta duas & priores nempe ſeptem, excidetur Chriſtus*. Atqui ſi in morte Chriſti finiuntur ſeptimanæ; impoſſibile eſt demum poſt annos plus minus 40. in everſione urbis eaſdem terminari. *Quarto* ver. 27. angelus quaſi occupans quæſtionem de ſeptimana ultima, quæ ver. 25. & 26. videbatur omiſſa eam dimidiat, ac dimidiam tribuit miniſterio & morti CHRISTI, quam deſcribit ab effectis, ut ſuprà oſtendi; alteram medietatem relinquit: oſtendens numerum integrum pro fracto, h. e, hebdomadas LXX. pro LXIX & dimidia ſe initio dixiſſe. *Denique* caput hebdomadum nullum eſſe niſi primum Cyri edictum, evidentiſſimè eſt demonſtratum ſuprà. Quo ſtante principio, manifeſtè abſurdum erit hebdomadas ultra Chriſtum ad urbis everſionem extendere.

Quæ ex textu oraculi contrà afferuntur, levia ſunt.

*Argumenta pro hoc termino diſſolvuntur.*

I. AIVNT. Hebdomades LXX. deciſæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, nempe, ut tamdiu duret populus tuus & urbs ſancta: poſtea deſinat eſſe populus & urbs. Ergo hebdomades in exterminio utriuſque finiuntur. SED *antecedens* verum eſſet, ſi diceret angelus, deciſas eſſe hebdomadas ſuper populum, & urbem, uſq; ad horum excidium: At hoc non dicit: ſed deciſas ait uſque ad finiendam prævaricationem, quod morte Chriſti eſt factum: & quidem *ſuper populum & urbem*, non utiq; excidendum: ſic terruiſſet non ſolatus eſſet prophetam: ſed *reducendum & reparandum*, Nihil enim abſurdiùs, quàm fingere, angelum prius de populo & urbe delenda, quàm reparanda nuncium Danieli attuliſſe. Eſt proinde ſimplex ſenſus: *Deciſæ ſunt hebdomades*

*mades LXX ſuper populum tuum & ſuper urbem ſanctam tuam, uſque ad finiendam prævaricationem &c.* q. d. Aperio tibi rem ſecretam atque abditam Dei conſilio: decretum nimirum eſſe, ut intra hebdomadas LXX ſeu annos 490, non modò fiat corporalis liberatio, pro qua tu oraſti, juxta oraculum Ieremiæ, populus inquam tuus hinc reducatur, & Ieroſolyma cum templo inſtauretur: ſed quod eſt amplius, etiam ſpiritualis & æterna redemtio compleatur per mortem CHRISTI, qui ſub exitum hebdomadum veniet in mundum, & pro peccatis mundi à ſuomet populo, quem nunc liberabit, occidetur Hæc eſt pleniſſima angeli ſententia.

II. AIVNT: angelus in LXX. ſeptimanarum ultima prædixit urbem & Sanctuarium exciſum iri: cum ait: *Poſt ſeptimanas autem illas LXII. exciſo Chriſto, cum nihil erit ipſi: & civitatem ipſam & ſanctum perdet.* SED *antecedens* negatur. Non urbem ſed CHRISTVM exciſum iri prædicit ſeptimanâ ultimâ. vet. 26 & 27. Quæ verò pœna, & quod judicium populum & urbem pro Chriſto exciſo ſeu trucidato maneat: utroque verſu etiam prædicit: *Vrbem & ſanctum perdet populus Ducis* & Item: *propter extenſionem abominationum deſolatus erit populus* & Vtrobique eſt copula *vau*: ſed Pagninus reddidit per *Poſtea*, Tremellius adverſativè per *autem*, ut excidium populi & urbis tanquam effectum à cauſa ſejungerent.

III. AIVNT: Ipſe Chriſtus Septimanarum illarum vaticinium ad urbis Ieroſolymorum deſtructionem diſertè applicat Matth. 24, 15: *Cum videritis abominationem illam vaſtatricem, quæ dicta eſt per Danielem Prophetam in loco ſancto poſitam* &. SED Falluntur. Chriſtus non finem LXX. hebdomadum, ſed eventum, qui illas ſubſequi debuit, à Daniele prædictum ad deſtructionem urbis applicat. Diſcernatur finis hebdomadum à fine totius vaticinii. Finis Hebdomadum in morte Chriſti ſtatuitur: Finis vaticinii in extrema deſolatione urbis & populi: additurque cauſa tantæ deſolationis: *Propter alam abominationum* h. e, quia abominationes Iudaici populi, poſtquam occiderit Meſſiam, habebunt alam ſeu extenſionem, erunt latè extenſæ, ideò ſuper eum ſe effundet deſolatio. Hanc partem poſteriorem vaticinij Danielis

*Finis hebdomadum à fine vaticinij diſcernendus.*

Danielis Christus allegat & confirmat: priorem de ſeptimanis non attingit.

*Allegant* DENIQVE pro hoc termino ex vetuſtate Tertullianum, Sulpitium Severum quorum authoritates jam ſuprà diſcuſſæ ſunt: poſſent vero opponi multò plures, Clemens, Euſebius, Africanus, Theodoretus diverſum ſtatuentes. Sed de termino hæc etiam ſufficiant. IV.

In ARTICVLIS Hebdomadum ab Angelo indicatis ingenioſa eſt Emendatoris Temporum ſententia ſed diſſentiens ab omnibus. *De tribus articulis hebdomadum hæc ſententia examinatur.*

*Primas* ſeptem hebdomadas ſeu annos 49. à ſecundo anno Darii Nothi extendit uſque ad 32. Artaxerxis Memoris. Rectè id quidem ſi principium rectè haberet. Sed error eſt ex errore. Annis 65 juſto ſerius orditur hebdomadas: Non mirum igitur, ſi ſeptimam ibi terminet, ubi jam viceſima ſecunda terminum habebat.

*Sequentes* LXII hebdomadas, à morte Chriſti retrò per annos 434 numerandas cenſet ad quintum annum ejuſdem Artax: Memoris: quando ait edictum iterum à rege emiſſum, cum quo anno vertente poſteà Eſdras cum reliquiis exulum Hieroſolyma profectus eſt. Hoc an hiſtoriæ Eſdræ ſatis congruat, non laboro. Illud neſcio an non ſit ludere, annos 27. Memoris, qui fuerunt *Eſra. cap. 7.* inter quintum & triceſimum ſecundum, bis vocare in computum: ſemel cum annis 49 primæ epochæ; iterum cum annis 434. ſecundæ epochæ. Sic certè Septimana, quæ ſemel erat quarta, rurſus fiet octava: & quæ erat ſeptima, rurſus fiet undecima. Sic etiam ex ſeptimanis VII & LXII, quæ ſimul ſunt LXIX, fient tantum LXV uſq; ad CHRISTVM occiſum: quod quàm ſit vero conſentaneum, etiam me tacente palam eſt.

Septimanam *denique* extremam, ab angelo dimidiatam verſ. 27. ſic dividit, ut partem unam tribuat prædicationi Meſſiæ: alteram bello Iudaico patrando, ab initio duodecimi Neronis ad initium ſecundi anni Veſpaſiani: quæ imaginatio ingenioſa eſt: ſed authoritate & ratione caret. *Primum* enim ſeptimanæ hujus ſemiſſis prior à prædicationis initio uſque ad mortem Chriſti, bis quoque in computum trahitur: ſemel cum annis

nis 434 ſecundæ epochæ; quam in morte Chriſti finiebat iterum ſeorſum in hac tertia epocha, cujus priorem partem prædicationi Chriſti uſque ad mortem rectè tribuit. Quod an ſpeciem veri habeat, judicent alii: mihi non videtur. *Deinde*, cui unquam venit in mentem, hebdomadem extremam tanto hiatu ab invicem diſpeſcere, ut ſemiſſis prior à poſteriore diſtet minimum 33. annis intermediis, nempe à XIX. Tiberii ad XI. ann. completum Neronis. Ex oraculi ſane verbis ſchiſma tale probari nequit. Annos autem XXXIII intermedios à computo LXX ſeptimanarum rejiciendos eſſe unde docebitur? Certè mirus hic videtur computus, vel mira potius chimia, ex annis XL unam annorum ſeptimanam ſic conflare, ut XXXIII anni inter ſemiſſes medii prorſus abeant in fumum. Quod ſi vero, ut Sulpitii & quorundam aliorum fuit opinio, ad computum omnino pertinent hi anni: quomodo à Dario Notho pro ſeptimanis LXX non habebimus LXXII? à Cyri autem edicto XC? Nullis, ut vides lector, utor argutiis: ſed argutiarum incommoda ſimpliciſſimè oſtendo. Ac per me licet placeant quibus placent: mihi ſatis eſt demonſtraſſe, ſi talem in modum ludere in divinis oraculis permiſſum ſit, omnem earum certitudinem facile convelli. Neque dum hæc dico, famam lædo authoris, cujus divinum ingenium miratur mundus, & ego ſuſpicio: ſed authoritatem minuo opinionis, quæ à regula minus deflectit. Quid mirum autem, ſi quandoque bonus paulum dormitet Homerus?

Excuſſi hactenus ſupputationes hebdomadum varias, quot quidem apud Danielis interpretes & Chronologos obſervare adhuc potui. *Nunc colligo demonſtrationem in pauca.* Aut ſola ea eſt vera certaque ſententia, quæ hebdomadas à Cyri edicto orditur, & in Chriſti paſſione terminat: aut præter eam una aliqua earum, quæ eaſdem ante vel poſt Cyrum inchoant, & ante vel poſt Chriſti mortem terminant. Nam alias præter commemoratas ſententias ſpecie aliqua probabiles nemo facile dederit. Omnes aut plures tam diſſentaneæ pariter oraculo congruere, & veræ eſſe non poſſunt. At nulla iſta-

rum

rum eſt, quæ non vel utroque vel altero termino ab oraculi tum verbis tum ſcopo varie exorbitet, variaſq; ſecum difficultates trahat: id quod elenchus inſtitutus omninò planum fecit. Stat igitur immota ſententia noſtra, quam ſupra aſſeruimus, à Cyro ad CHRISTVM exciſum LXX hebdomadas Danielis decurriſſe: ideoque nulla lacuna nulloque hiatu temporis à LXX annis captivitatis lacerandas eſſe.

## CAPUT VIII.

### *Quinta demonſtratio a cauſa diverſarum ſententiarum lubrica & nulla.*

CONfirmata hactenus eſt immediata hebdomadum cum edictoCyri connexio, ex ſcopo oraculi proprio & communi, ex diſertis Angeli verbis, & ex diverſarū opinionum incommodis. Reſtat ut eandem ex harum opinionū causâ confirmem. Si enim oſtendero, cauſam hanc eſſe lubricam, incertam, imò nullam: utique opiniones eâ nitentes lubricæ incertæque eſſe cognoſcentur, & per ſe corruent ſtabit verò immota CHRONOLOGIAE SACRAE INTEGRITAS, pro qua aſſtruenda hactenus laboro.

Si videas, conſulas, legas Chronographos veteres juxta recentes: penè omnes audies quiritantes ac fatentes, fatalē ſibi ab angelo crucem fixā eſſe in hebdomadibus. Danielis. Etenim poſtquā ſeriem temporum inde ab orbe condito ad finem uſque captivitatis Babylonicæ ex ſacris hiſtoriis recto filo egregie ſibi texuiſſe videntur: ubi ad hebdomadas Danielis ventum eſt, mox quaſi in præcipitio attoniti gradum ſiſtunt, ſtantque ancipites ἐν τριόδῳ λογισμῶν, quorſum aut quomodo pergant, quò ſe vertant dubii. Si à meta captivitatis ad caput hebdomadum continuato paſſu proferant: vident ſibi obſiſtere univerſum chorum imò exercitum profanorum ſcriptorum Græcorum & Latinorum, ex quorum annalibus Cyro ad Chriſtum hebdomades haud paulò plures quàm LXX confici obſervant. Sin ad iſtorum computum

*Chronologis crux fixa in hebdomadib. Danielis.*

tum ſuum accommodent calculũ: vident ſibi à captivitate ad hebdomadas tempus dehiſcere Saltumquè faciendum eſſe. Quoniam vero computus profanus propè omnibus magis placet, adeoque ſacroſanctus habetur, ut deflectere ab eo nefas putent: ideo etiam omnes ſaltum facere non dubitant. Et ſaltant quidem omnes ſed inæqualiter, prout nempe cujuſque abacus parvum aut magnum hiatum fecit: alij per annos 9: alij per 16, alij per 40, alij per 44, alij per 80, alij per 107, alij per 115, alij per 127, alij denique per 141: ut ex præcedente elencho apparet. At cur quæſo calculus profanus adeò inviolabilis putatur, ut potius ſacræ Chronologiæ ſeriem rumpendam, quàm ab illo recedendum exiſtiment? *Quia (inquiunt) Græci Scriptores ita verè ac fideliter omnium regum Perſidis annos retulerunt, ut ab initio Cyri ad exceßum Alexandri Magni ne unus quidem annus perierit. Omnia enim tempora, per quæ ab illis regib. imperatum eſt, aliquo inſigni charactere inchoata ſunt, cui contradici non poteſt. Aut enim aliquo defectu luminarium, ut anni Cambyſæ & Darii, aut aliquo certiſsimo intervallo, ut ab Olympiadibus Cyri initium: à bello Peleponneſiaco Artaxerxis Longimani finis initia Darii Nothi, & Artaxerxis Memoris* & Splendidè hæc quidem dicuntur, ſed magna ex parte parum ſolidè. Hîc ergo pedem figamus.

*Quam variè Chronologi hîc ſaltent.*

*Cur computus profanus Chronologis magis hic placeat quàm ſacer.*

In Chronographicis authoribus potiſſimum ſpectatur ſola hiſtoriæ veritas & temporum annotatiò: quæ duo ſi in Græcis Scriptoribus requiras ante Olympiadum tempora, næ tu in vacuo theatro ludos Spectabis. Nihil enim habent in priſcis illis hiſtoriis atque temporibus, niſi ἄδηλα καὶ μύθικα: *incerta & fabuloſa*, teſtibus Varrone Cenſorino & Africano, ut ſupra lib. 1. oſtènſum eſt: fatente item Diodoro: *in priſcis illis reb: & fabulis ſimillimis non omnino ad quadram veritatem perveſtigandam eſſe*: Taliaque is fatetur eſſe omnia ea, quæ ſex libris de fabuloſis antiquorum geſtis ipſe eſt complexus: de Ægyptiorum antiquitate & geſtis uſque ad Amaſum regem: de regibus Aſſyriis uſque ad Sardanapalum: item Medis: de Amazonibus, de Titanibus, de Hercule & duodecim laboribus ejus de Argonautis, de Lapithis & Centauris, de Dædalo & Minotauro, de Helenæ raptu, de

Theſei

Theſei ad inferos deſcenſu, deque ſimilibus nugis unde quis aliquid hiſtoricæ veritatis non magis facile eruerit, quam ex Lente unguentum.

Poſt Olympiadas inſtitutas æquè lubrica reperiuntur omnia uſque ad belli Peleponneſiaci tempora. Nam verum Olympiadum principium ignorant Græci. Primus ludorum quinquennalium author perhibetur Hercules. At totam Herculis hiſtoriam ad *μυθικὸν fabuloſum* Varronis intervallum pertinere quis neſcit? Quid veri inſit fabuloſis ejus geſtis videatur Dionyſius Halicarn. lib. 1. Herodotus ab Hercule AEgyptio ad Amaſum Cambyſis σύγχρονον numerat annos 17000. Quid fabuloſius? Ab Hercule vero Alcmenæ filio Olympicorum authore ad ſua tempora annos fermè 900. Fabuloſum id quoque. Viguit Herodotus Xerxis tempore, ſi Diodoro creditur. Sic fuiſſet circa 225. Olympiadem. Atque Xerxis expeditioni Olympias circiter LXXV vulgò aſſignatur. Et ſi fabulis creditur, Herodes natus eſt Tholæ judicis temporibus, ante Ilii excidium annis circiter 60 aut 80. Ab Ilii autem excidio ad Xerxis expeditionem faciunt annos non plures 700. Quomodo igitur ab Hercule ad Herodotum anni 900.

*Herod. lib. 2.*

*Diod. lib. 3. cap. 9.*

Verùm *ajunt*, Iphitum fuiſſe Olympicorũ inſtauratorem: & ab Iphito non ab Hercule Olympiadas numerari. Quaſi vero Iphiti magis quàm Herculis certa ſit ætas. Solinus Iphiclum Herculis filium aut Olympia inſtauraſſe, poſt excidium Trojæ anno 408. AEque fabuloſum. Iphiclum fratrem non filium Herculis haberi quis neſcit? Forte legendum pro Iphiclo Iphitus. An verò iſte Herculis filius? Et Trojæ excidium nonne ab omnibus ſcriptoribus ad tẽpora illa *μυθικὰ fabuloſa* refertur? Quis igitur ann. inde ad Iphitum 408 certò numeravit? Forte Cenſorinus, qui ſuæ ſcriptionis annum facit 1014 Iphiti. Sed unde Cenſorinus habuit, niſi ex Græcorum conjecturis? Recte igitur addit illud: NISI FALLOR, de quo ſuprà. Pauſanias Iphitum facit æqualem Lycurgi, qui Lacedemoniis leges dedit: χρόνῳ δὲ ὕϛερον ἴφιτος γενος μὲν ὢν ἀπὸ ὀξύλου: ἡλικίαν δὲ κατὰ λυκοῦργον τὸν γράψαντα λακεδαιμονίοις τοὺς νόμους, τὸν ἀγῶνα διέθηκεν ἐν ὀλυμπίᾳ πανήγυρίν τε ὀλυμπιακὴν αὖθις ἐξ ἀρχῆς

*Solinus Polyhiſtor cap. 2.*

*Pauſ. Eliac. 1.*

καὶ ἐκεχειρίαν κατεςήσατο. Idem habet Plutarchus in vita Lycurgi circa principium: *Quidam (inquit) Lycurgum Iphiti temporibus claruiſſe, eumque in Olympiacis feriis inſtituendis adiuviſſe tradunt.* Sed quando fuit Lycurgus? Audi ibidem Plutarchum: *Nihil omninoquod non in dubium vocetur, de Lycurgi legiſlatoris vita dici poteſt. Nam cum de genere, peregrinatione, obituque ejus, præterea de legum ejus ac Reipub. inſtitutione diverſæ narrationes exſtent, tùm verò, quo TEMPORE vixerit, minimè omnium in confeſſo eſt.* Dicere igitur Iphitum Lycurgi temporib. Olympia inſtauraſſe, eſt nihil dicere. De Iphiti etiam genere Pauſanias ibidem nil niſi conjecturas dubias Græcorum narrat, alios Hæmonis alios non Hæmonis ſed Praxonidæ, alios denique Iphiti cujuſdam filium opinatos fuiſſe.

*Plutarch. in Lycur.*

Sed demus, utriuſque & Iphiti & Lycurgi ætatem σύγχονον conſtare. Dicemus igitur Olympiadas unà cum Republica Lacedæmoniorum cœpiſſe. Plato autem dicit in Minoë, inſtituta Lycurgi vix 300 ante ſe annis exſtitiſſe. Sic Plato Olympiade 75 vixerit, Xerxis nempe & Herodoti temporibus juxta vulgarem computũ. At hoc omnium Chronographorum judicio eſt falſum. Claruit enim Plato ſub Artaxerxe Memore, intra 97 & 101 Olympiada. Hæc, ne plura nunc addam, ſatis arguunt, Græcos, quantumvis poſt Herculem Iphitumve in ludis quinquennalibus certam temporis menſuram Olympiadem habuerint: tamen in hiſtoriis menſuræ aſſcribendis di u multumque erraſſe: eò quod principium certum ejus menſuræ ignorarent. Vetuſtiores enim nil ſcriptum reliquerant, ſaltem ante Homeri & Heſiodi tempora, de quibus inter ipſos ἀδιάλυτος ſemper fuit quæſtio. Poſteriores igitur majorum deſtituti monimentis non mirum ſi vel fabulas pro hiſtoriis arripuerunt, vel rebus olim verè geſtis hanc vel illam Olympiada aſſignarunt, prout ferebat probabilis conjectura. Quos Græci recentiores Diodorus, Dyonyſius: & Latini item Plinius, Solinus aliiq; imitati quid niſi veterum conjecturas, vel potius inveteratos errores repetiverunt? Agnoſcit idipſum non obſcurè author emendationis Temporum lib. 5. de initio Olympiadum ſic ſcribens

ſcribens: *Quod chronologi notant, illud vel illud illa vel illa Olympiade contigiſſe, fidem eorum quidem liberat, ſed diligentiam non probat: quod nimirum illud ſatis non ſit ad ἐνάργειαν quandam temporum & rerum geſtarum indicandam. Character enim primæ Olympiadis deſideratur, quo illius initia deſignentur.* Hæc ille veriſſimè. Quid ergo antiquioribus Olympiadibus contigerit, Græci verè neſciunt. Opinionibus autem & conjecturis variè inter ſe diſſident, quod incertitudinis eſt certum argumentum. Pauſanias & Plutarchus, ut modo retuli, Lycurgum æqualem Iphito & Olympiadum exordio faciunt. Euſebius de præparatione Euang. lib. 10. cap. 3. longe aliter ex Thallo, Caſtore, Phlegonte, quos citat: *Lycurgus inquit, centum annis ante primam Olympiadem leges Lacedæmoniis dedit.* Idem ibi: *Pythagoram & Democritum in quinquageſima Olympiade 700 ferè annis poſt Troiam fuiſſe conſtat.* Et poſtea: *Pythagoras in LXII Olympiade floruit. Thales vetuſtiſſimus omnium, qui ſeptem ſapientes appellantur, in quinquageſima vivebat Olympiade.* Rurſus poſtea: *Lycurgus verò & Solon legum apud Græcos conditores, & ſeptem Sapientes, Pherecydes etiam Syrius & Pythagoras circiter primæ Olympiadis tempora fuerunt.* Tandem etiam: *Cyri temporibus ſeptem Græcorum Sapientes, quib. nullus Philoſophus antiquior traditur, floruerunt.* Cyrus autem Crœſo ſuperato Sardes victor intravit Olympiade octavâ & quinquageſima, ut placet Solino cap. 7. Iſta quàm parum conveniant, quis non videt. Habet igitur hic locum maxime Euſebii dictum eodem loco: *Quando ita confusè de tẽporibus ſcribitur, univerſa hiſtoria TITVBAT.*

At quicquid ſit de priſcis temporibus, certè, *inquiunt* ab initio Cyri ad exceſſum Alexandri Magni omnium regum Perſidis annos ita vere ac fideliter retulerunt Græci ut ne unus quidem perierit. Id quidẽ optandum erat quam maxime. Sed longe aliter ſe habere, ſaltem ante Peleponneſiaci belli tempora, quæ quomodo cum ſacra concilientur hiſtoria poſteà dicã, collatio hiſtoriarum Græcarum inter ſe & cũ ſacris facile oſtendit.

*Primum* inter authores ne quidem de numero Perſicorum regum conſtat: & latini Græcos imitati æquè variant.

Perſicos enim reges alii numerant quatuordecim;
*Euſeb. in Chron.*
Alii undecim.
*Sulpit. l. 2. hiſt. Sam.*
Alii undecim.
*Iunius in notis Bibl.*
Alii decem.
*Iuſtinus: quem ſequitur aut hæc emendationis Tempo. editirum one altera.*
Alii novem.
*Idem author edit. prior & Metaſthenes.*
Alii octo.
*Clemens Alex ſtrom. lib. 1.*
Alii quinque.
*Tertull. cont. Iudæos.*
Alii denique quatuor.
*Hæbræi in cap. 11. Danielis.*

In hac varietate dic tu quid pro certò ſequamur.

*Deinde*, ſi de regni Perſici annis quæras, vix unus eſt ex tot regibus, de cujus annis non titubent authores, proinde non mirum, ſi de duratione ejus regni multum inter ſe varient: Supra aliquid de hac diſcrepantia attigi. Maxime verò huc pertinet. Eſt quidem pervulgatum, Perſicæ monarchiæ tribuere annos 230: Verùm collatio authorum id prorſus incertum eſſe convincit. Nam regni Perſici à Cyro ad Alexandrum.

| | | |
|---|---|---|
| Alii numerant annos | 250. | ut *Sulpitius*. |
| Alii | 235. | ut *Clemens Alex.* |
| Alii | 230. | ut *Euſebius*. |
| Alii | 210. | ut *Funccius*. |
| Alii | 207. | ut *Mercator*. |
| Alii | 206. | ut *Buntingus*. |

Dionyſius Halicarn: libr. 1. *Perſæ* inquit, *non multum ultra annos* 200. *permanſerunt in rerum faſtigio*.

| | | |
|---|---|---|
| Alii minimum | 200. | ut *Scaliger*. |
| Alii | 191. | ut *Metaſthenes*. |

Alii

Alii 188. ut *Lucidus.*
Alii 106. ut *Tertullianus.*

*Deniq;* vix hîc duas invenias cõcordes. Et credemus tamen adeo fideliter annos à Græcis deſcriptos, ut unus non perierit? At iſti inquis, omnes Græci non ſunt. Certè agnoſcis Græcos ex parte: reliquos Græcorũ pediſſequos vel centenarios in iſtis Perſicarum rerum tenebris. Colligamus igitur ſingulatim regum Perſicorum annos ex ipſis Græcis, quantum fieri poteſt (nam aliquando annos ne Græci quidem prodere potuerunt) ut fides & concordia eorum liquido appareat. Conſenſum certè monſtrare aut certi aliquid confirmare ex illis tam eſt difficile, quam quod maxime: quæ cauſa fuit, ut Author emendationis Temporum reges quidem Perſicos primum novem poſtea undecim nominaverit verùm ſuos ſingulis annos aſſcribere non habuerit.

CYRVS itaque regnavit *juxta Herodot. lib.* 1. annos 29: *juxta Euſebium qui ſequitur Cteſiam & Iuſtinum* annos 30. I.

CAMBYSES *juxta Ioſephum lib.* 11. *cap.* 3. *Antiq.* annos 6: *juxta Herodotum lib.* 3. annos 7. menſ. 5. *juxta Euſebium in Chron.* ann. 8. *juxta Clementem Alex. lib.* 1. *Strom.* annos 19. Cteſias lib. 12. tribuit Cambyſi annos 18. II.

SMERDIS magus (Cteſias Sphendadatum vocat) *juxta Euſebium* menſes 7: *juxta Ioſephum ibidem* annum integrum. III.

DARIVS Hiſtaſpis filius, *juxta Herodotum lib.* 7. annos 36: *juxta Clementem Alex.* annos 46. *juxta Cteſiam* annos 31. IV.

XERXES quot annis regnaverit, nullus Græcorum prodidit ne Cteſias quidem. Neq; Herodotus quem Xerxis tempore vixiſſe & ſcripſiſſe volunt Magnum eſt ſuſpicionis argum. *Euſebius* tribuit ei annos 19. *Clemens Alex.* ann. 26. *vulgò* annos 20. *Funccius* tantùm ann. 14. V.

ARTABANVS menſes 7. Xerxe trucidato regnum occupavit. *Euſebius in Chron.* VI.

DARIVS ARTAXERXES Longimanus dictus, quã diu regnaverit Græci neſciunt. Thucydides lib. 4. mor- VII.

tuum ſcribit anno 7. belli Peleponn. Sed quando regnare cæperit non indicat. Conjectant aliqui regnaſſe annos 44. *Euſebius* annos 40. *Clemens Alex.* annos 41. Cteſias ann. 42. *Metaſthenes* annos 37.

VIII. XERXES II.menſ.2.*Euſebius in Chron.*Cteſias dies 45.

IX. SOGDIANVS Cteſiæ Secundianus, filius nothus Artaxerxis regnat menſes 7. vel 8. *Euſebius in Chron.* Cteſias m. 6 dies 15.

X. DARIVS OCHVS ſeu Nothus Secundiani frater annos. 19. *Euſebius in Chron. juxta Clementem* annos 8. *Iuxta Cteſiam lib.* 18. περσικῶν annos 35.

XI. ARTAXERXES Mnemon ann. 40, *Euſebius in Chron.* Iuxta *Plutarchum* in Artaxerxe, quem ſequitur *Sulpitius* annos 62. Cteſias & *Clemens* habent annos 55.

XII. ARTAXERXES Ochus, annos 26. *juxta Metaſthenem & Euſebium. Sulpitius* ei tribuit ann. 23. Tertull. 24. *Clemens* ann. 3. Cteſias 35.

XIII. ARSES ſeu Arſanes annos 3: *juxta Diodorum & Sulpitium. Euſebius* & Metaſthenes annos 4. Tertullianus contra Iud. annum 1.

XIV. DARIVS Codomanus à Iuſtino dictus ultimus Perſarum rex tenuit regnum juxta *Diodorum & Euſebium* annos 6. juxta *Metaſthenem & Sulpitium* annos 4.

Qui igitur adeò lubricè de regum Perſicorum tum numero tum annis ſcripſerunt, adeoque inter ſe variè diſſident, & ſibi contradicunt, eoſne dicemus ita verè & fideliter omnium regum Perſidis annos retuliſſe, ut ne unus quidem perierit?

*De Charactere regni Cambyſis.* Ad characteres annorum Perſicorum quod attinet, vel lubrici illi ſunt vel ad rem non faciunt. *Character* anni ſeptimi Cambyſis notatur apud Ptolomæum defectus Lunæ die 29. Phamenoth & ultimi anni Darii ab Alexandro devicti apud Plinium & Plutarchum defectus Lunæ alius. Quid inde? Cambyſen non minus ſeptem annis regnaſſe. Eſto: de eo enim paulò poſt. Quid hoc ad computum? Sed addit Ptolemæus ſeptimum annum Cambyſis fuiſſe 225. Nabonaſſari: & alibi, à regno Nabonaſſari uſq; ad mortem Alexandri colligi ann. 424. Hinc confici videtur, à 7. Cambyſis ad mortẽ Alexandri fluxiſſe annos 199. Id quod favet Græcorum computo.

*Ptol. lib. 5. Alm. c. 14. Plin. lib. 2. cap. 70. Plut. in Alex Ptol. lib. 3. Alm. cap. 8.*

Reſpondeo:

*Reſpondeo*. Quæ Ptolemæus ex motuum obſervatione pronunciat, ea indubiam haud dubie fidem merentur, quale eſt quod ſeptimum Cambyſis annum defectu luminaris deſignat. Quæ verò præter obſervationes ex recepta Græcorum hiſtoria affirmat, cujuſmodi ſunt duo poſteriora pronunciata, ea ad veritatis trutinam examinari utique oportet, quam in Perſicis hiſtoriis Græcorum minimè habemus, ut jam ſatis liquet, ſed ex divinis ſacrarum ſcripturarum oraculis nos petere neceſſe eſt. Quod verò non ex obſervationib. ſed collectione quadam hiſtorica duo illa pronunciet, vel ex eo liquere poteſt, quod neque Nabonaſſari initium, neque Alexandri exceſſum aliquo charactere indubio, ex luminarium defectu aut obſervatione alia evidenti inſignire vel ipſe vel AEgyptii ante eum habuerunt. Tribuit hoc quidem ſuis AEgyptiis, quod inde ab initio regni Nabonaſſari priſcas habuerint obſervationes continuè ad ſuum uſque tempus conſervatas. Sed ſi adeò exacti fuerunt temporum cenſores AEgyptii quid ſibi volunt tam putidæ eorum fabulæ de 17000. annorum ab Hercule AEgyptio ſcilicet uſque ad Amaſum regem Cambyſis σύγχρονον, qui Nabonaſſaro etiam ex vulgari computo, 220. annis fuit poſterior? Quid etiam ſibi vult quod antiquiſſimam omnium obſervationum paulò poſt facit Eclipſin Lunæ, 29. die menſis Thoth, anno primo Mardocempadi, initio Nabonaſſari 27. annis poſteriorem? *Herod. lib. 2.*

Alexandri exceſſus certo aliquo charactere aut defectu luminarium nuſquã notatus legitur Præceſſerat quidem eum eclipſis Lunæ totalis anno ſeptimo ſub tempus victoriæ de Dario ad Arbela: quam Plinius ſecunda noctis hora nobilis illius victoriæ, Plutarchus undecima nocte ante victoriam obſervatam ſcribit nec ad Arbela ſed ad Gauſamela prælium cũ Dario commiſſum eſſe annotans. Eam vero, quod permirum, nec Ptolemæus nec AEgyptii obſervarunt. Quin initium. AEgyptios ad æram Nabonaſſari regis non ſui ſed exteri, non AEgyptii, ſed Babylonii (ut putatur: nam quis fuerit nuſquã Ptolemæus vel quiſquã alius prodidit) obſerva- *De charactere regni Darii & mortis Alex.*

tiones ſuas inſtituiſſe. Quod ſi (ut vulgo creditur) fuit Salmanaſſar aut Sanherib, aut BalAdan: magis mirum, quomodo initia ejus mirando illo Solis regreſſu qui circa id temporis in vicina Iudæa accidit, & cujus miraculi famam ad ipſum Merodachum ſive Merdocempadum Babyloniæ regem perveniſſe colligitur, nobilitare neglexerint: aut ſi continuè ad Ptolemæi tempora obſervationes conſervarunt, quomodo, præter inſigniores luminarium paſſiones non paucas, horrenda illa ſolis obtenebratio ſub CHRISTI ſervatoris noſtri ſolis Iuſtitiæ defectum & mortem eos effugere potuit, quæ tamen Phlegontem Ptolemæi σύγχρονον, referente Euſebio, non latuit?

*2. Reg. 20, 9*

*De charactere initij Cyri.*

Iam quod Cyri initium ab Olympiadibus certiſſimo intervallo ſignari putant, planè lubricum eſt. Quomodo enim certiſſimum eſſe poſſit intervallum, cujus principium eſſe incertiſſimum argumentis prius adductis & aliis certo certius patet? Cyri initium regni ad Olympiadem 55: monarchiæ ad 60 referunt. Sed ſerius Cyrum floruiſſe non modo ſacra hiſtoria indicat, ſed profanus etiam computus, ſi diligentius examinetur prorſus arguit. Id quod nunc quidem multis oſtendere non laboro, quoniam ex ſequentibus ſatis patebit. Nec Clemens Alexand. initio captivitatis Babylonicæ deputat annum 1. Olympiadis 48. Adde his 70 annos captivitatis: & initium monarchiæ Cyri in annum 2. Olympiadis 66 incurret. Sed & hoc tempus 15 Olympiadibus à calculo ſacro deficit: cujus erroris cauſa Græcis fuit, tum quod, ut prius oſtendi, verum Olympiadum initium ignorarunt tum quod tempora Perſica à Cyro ad Alexandrum juſto longius extenderunt & illius initium ab iſtius exceſſu 59 Olympiadibus ſeparaverunt, quod non niſi 32 Olymp. diſtare ex ſacra hiſtoria certò evincitur.

*Clemens. lib. 1, Strom.*

*Thucyd lib. 4*
*De charactere Artaxerxis & belli Peloponneſiaci.*

Bellum Peloponneſiacum à Thucydide & Xenophonte deſcriptum præbere videtur characterem finis Artaxerxis, quem vocant, Longimani: Nam hic deceſſiſſe ſcribitur anno ejus belli ſeptimo exeunte: nec non characterem initii Darii, qui dicitur Nothus: nam hic patri Artaxerxi proximè ſucceſſit: initii item Artaxerxis alterius,

tius, quem Mnemonem vocarunt: nam hic viceſimo ſexto belli Peleponneſiaci anno, qui idem Darii fuit decimus nonus & ultimus, regnum Perſicum patris Teſtamento adiit, Cyro fratre æmulo regni devicto. Hi inquam characteres certi utique eſſent, ſi ipſum belli tempus ſatis certum, atque Olympiadibus recte applicatum eſſet. Conſtet ſane Thucydidi ſua laus circa fidem hiſtoriæ, quam de bello inter Peleponneſios & Athenienſes geſto prope ad finem anni 21 ejus belli diligentia ut apparet ſumma deſcripſit: quanquam non deſint, qui etiam circa illam nonnihil deſiderent. Temporum vero rationem non magnam habuiſſe videtur, quod etiam Dionyſius Halicarnaſus περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος minime diſſimulavit. Satis enim habuit res à Græcis tunc geſtas in æſtates & hyemes ſingulorum annorum dividere: cujus ſui conſilii lib. 5, ſub finem anni decimi rationem reddit. Ad regum vero aut ſacerdotum ſucceſſiones aut ad Olympiadum ambitus inquit Dionyſius, aliorum exemplo, non placuit hiſtoriam ei accommodare. Finem igitur quidem ſeu mortem Artaxerxis prioris Thucydides aſſcribit anno belli Græcorum ſeptimo ſub exitum. Sed cujus Olympiadis quotus annus is fuerit nullo indicio ſignificat. Et quamvis alicubi Olympia celebrata deſcribat; ut in æſtate anni duodecimi: *Hac, inquit, æſtate Olympia exſtiterunt, in quibus Androſthenes Arcas primam palmam retulit &c.* nuſquã tamen Olympiadis certæ numerum propoſuit, nec quota illis temporibus ageretur Olympias ſignificavit: conſcius hauddubiè ſibi temporis incerti, quod deſcribebat. Ex Thucydide igitur ſciri poteſt, quòd is hiſtoriam belli Græci per annos 21. deſcripſerit: quòd Artaxerxes, quem filium Xerxis vocat, anno ſeptimo exeunte ejus belli regnare deſierit: quodque Darius filius anno ſequente, h. e, belli octavo, Perſis imperare cœperit: quandoquidem Darij hujus annum 13. fœdere regis cum Lacedemoniis clarum, fuiſſe belli annum 20. expreſsè annotavit, At quo tempore bellum illud moveri cœperit: quamdiu Artaxerxes ille regnaverit: aut quoto regni anno deceſſerit: in quam denique Olympiadum vel finis Artaxerxis, vel initium Darij inciderit:

*Nota Plinius lib. 30 cap. 1. ſcribit Hippocraten medicè nam Democritum magicen excoluiſſe circa Peleponneſiacum Græciæ bellum: quod geſtum eſt inquit 300 urbis noſtræ anno.*

*Thucydideæ hiſtoriæ ratio.*

*Thuc. lib. 4.*

*Thuc. lib. 8.*

derit: ex Thucydide ſciri nulla conjectura poteſt. Quòd verò etiam ante id bellum intervalla temporum præſertim remotiorum unde nonnulli de initio belli conjectant; apud eum non ſatis conſtent, BEROALDVS noſter Chronol. libri 4 capit. 5 quod eſt de emendatione hiſtoriæ profanæ, graviſſimè monuit, & perſe manifeſtum fiet capite ſequenti, ubi tertium annum monarchiæ Cyri à ſexto anno Darii, quem Nothum vocant, non amplius 46 annis diſtare oſtendetur certiſſima authoritate Sacrę Scripturę, cui uni nos Chriſtianos plus fidei quam omnibus Herodotis Thucydid: Xenophontis, Dionyſiis, Diodoris, Ptolæmæis denique & Pliniis deferre tenemur.

*Xenophon. Thucydidis continuator & illuſtrator.*

Fateor Xenophontem, plurimum lucis afferre Thucydidæis tenebris ad temporum notationem quod attinet. Hiſtoriam enim belli à Thucydide cœptam & morte ejus interruptam Xenophon continuavit. Annotavit is Olympiadem 93, cujus annum primum cum anno 22 belli (Funccii Chronologia vitiosè habet cum ann. 21) & Olympiadem 94, cujus primum ann. cum 26 anno belli connectit. Ex Xenophonte igitur (ſi modo ejus proba eſt Olympiadum annotatio) habemus bellum Græcorum moveri cœptum Olympiadis 87 anno 4: Artaxerxem priorem vita functum Olymp. 89 anno 2. Darium filium regnum adiiſſe anno ſequenre 3. Olymp. ejuſdem: fœdus per Tiſſaphernem Aſiæ proprætorem cum Lacedæmoniis feciſſe Olymp. 92 anno 3. Artaxerxen Mnemonem patre defuncto ſucceſſiſſe in regno Olymp. 94 anno 1, qui idem Darii fuit decimus nonus: bello denique finem impoſitum reditu Lyſandri victoris in patriam anno 29, ex quo cœptum fuerat, Artaxerxis anno 4. Olympiadis 94. anno 4: proinde hallucinari eos, qui bellum id tantum 27 annos duraſſe ſcribunt: Diſertis ſiquidem verbis ait Xenophon de Lyſandro duce redeunte Lacedæmonem ſpoliis onuſto, eaque Lacedæmoniis tradente: ταῦτα δὴ πάντα λακεδαιμονίοις ἀπέδωκε, τελευτῶντος τοῦ θέρους ἐς ὃ ὁ ἑξάμηνος καὶ ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἔτη τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα: h. e, *Quicquid bello partum erat* (præter naves erant 470 talenta argenti) *id omne Lacedæmoniis tradidit, exeunte æſtate, qua bello finis impoſitus,*

*Xen. lib. 1. ἑλλην. Funcc. Chron. lib 2. Xen lib. 2. ἑλληνικ.*

*Xen. lib. 2. ἑλλ.*

*ſitus, poſt annum vicesimumoctavum menſemque ſextum.* E quoniam occaſione de characteribus annorum Perſico-rum, ad Thucydidis & Xenophontis hiſtoriam digreſſum eſt priuſquam ad inſtitutum revertar, ad illuſtrandam utriuſque χρονογραφίαν juxta belli Peleponneſiaci annos, in gratiam lectoris ſubjicio hunc typum.

*Thuc. editione Græcolat Henr. Steph ann. 88.*

| ANNI | | | |
|---|---|---|---|
| Belli Peleponneſ. | Olympiadum | Regum Perſis. | anno I, Ol. 87. |
| I. Initium belli. | Olymp. 87. Scal. l. 5. p. 223 | Artaxerx. 0. | Thucyd. lib. 2. pag. 93. |
| II. | Olymp. 88. I. | 0. | pag. 130. |
| III. | 2. | 0. | pa g147. |
| IV. | 3. | 0. | pag. 173. |
| V. | 4. | 0. | Thuc. lib. 3. pag. 189. |
| VI. | Olymp. 89. 1. | 0. | pag. 233. |
| VII. | 2. | Artax. moritur. | Thuc. lib. 4. pag 252. |
| VIII. | 3. | Darius, N. 1. | pag. 286. |
| IX. Induciæ hyemales. | 4. | 2. | pag. 328. |
| X. | Olymp. 90. I. | 3. | Thuc. lib. 5. pag 342. |
| XI. | 2. | 4. | pag. 357. |
| XII. | 3. | 5. | pag. 371. |
| XIII. | 4. | 6. | pag. 380. |
| XIV. | Olymp. 91. I. | 7. | pag. 382. |
| XV. | 2. | 8. | pag. 398. |
| XVI. | 3. | 9. | pag. 399. |

Thuc.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Thuc. lib. 6; pag. 415. | XVII. | 4. | 10. | |
| pag. 476. | XVIII. | Olymp. 92. 1. | 11. | |
| Thuc. lib. 7. pag. 496. | XIX. | 2. | 12. | |
| Thuc. lib. 8. pag. 556. | XX. | 3 | Confœder. 13. | |
| pag. 587. | XXI. | 4. | 14. | |
| | | | | |
| Xenoph. l. 1. ἑλλ. pag. 254 | XXII. | Olymp. 93. 1. | 15. | *Xenoph. editione Graeca Henr. Steph ann. 61.* |
| pag. 256. | XXIII. | 2. | 16 | |
| pag. 259. | XXIV. | 3. | 17. | |
| Xen. lib. 2. pag. 266. | XXV. | 4. | 18. | |
| | XXVI. | Olymp. 94. 1. | Dario Artax. 19 | 1. |
| | XXVII. | 2. | ſuccedit. 2. | |
| | XXVIII. | 3. | 3. | |
| Xen. lib. 2. pag. 271. | XXIX. Finis belli. | 4. | 4. | |

Hoc computo initium belli Peleponneſiaci incidet in annum Mundi 3501. finis in 3529. Sed deficit aliquantum à computo ſacro. Iuxta quem initium belli neceſſario cohæret cum anno Mundi 3510: & anno 1. Olympiadis 90: ſeptimus annus belli, ſeu emortualis Artaxerxis cum anno Mundi 3516. & anno 3. Olympiadis 91. finis cum anno Mundi 3538, & anno 1. Olympiadis 97: qui fuit quartus Artaxerxis Memoris, cujus anno ſeptimo Eſdras, viceſimo Nehemias miſſus eſt in
*Eſdr. 7. 1. Neh. 1. 1.* Iudæam. Ratio eſt, quia initium ſtructuræ templi, quam Iudæi cœperunt tertio Cyri anno, ab ejuſdem ſtructuræ perfectione quæ fuit 6. Darij anno per authoritatem Scripturæ ſacræ, ut mox oſtendam, longius 46. annis avelli nullo modo poteſt. Quo poſito, cum 6. annus Darii

Darij ſit Mundi 3520, & primus Olympiadis 93: neceſſario primus annus Darij cum anno M. 3517, & anno 4. Olympiadis 91. ultimus vero Artaxerxis patris, & initium atque finis belli Græci cum annis mundi & Olympiadum prædictis cohærebunt. Sic novem duntaxat annis completis à vero aberit Xenophontis annotatio. Tanto enim minus diſtabit calculus profanus à ſacro quanto ad tempora Alexandri acceditur propius : in cujus morte ut in communi radice tandem uterque calculus concurrit, indeque exciſum citra diſcordiam per annos hebdomadicos 262. ad CHRISTVM uſque continuatur. Alexandri enim tempora & ſubſequentia quia fuerunt propria & notiora, & quia plures invenerunt ſcriptores, cum divinis oraculis facilius conciliantur, ſive per Olympiades, ſive per annos Vrbis conditæ, ſive per ſucceſſiones regum Seleucidarum aut Lagidarum ad Auguſtum Cæſarem, & ab hoc ad Chriſtum deſcendatur.

His arbitror demonſtratum ſatis id quod oportuit, nequaquam eſſe Græcorum Scriptorum circa annos & reges Perſicos eam ἀκρίβειαν, & certitudinem, quæ multis videtur: imo nihil illis eſſe magis varium & lubricum, ad temporum notationes quod attinet. Ne vero præter rem ego Græcis in præſenti argumento detrahere velle videar; operæ precium eſſe duxi, quid Ioſephus in hanc ſententiam veriſſimè nec ſine ratione ſcripſerit libro contra Appionem priore lectori hoc loco ſubjicere. Sic igitur ille ibi non procul à limine: *Primum inquit ſatis mirari nequeo eos, qui de rebus antiquiſſimis ſolis Græcis fidem adhibendam, & ab iis veritatem cognoſcendam eſſe exiſtimant: nob. verò & cæteris hominibus non credendum. Nam equidem planè contrà eſſe video, ſiquidem non vanæ ſequendæ ſunt opiniones, ſed ex ipſis rebus petenda veritas. Etenim Græca omnia recentia, & nuper admodum nata invenias: urbium videlicet exſtructiones, artium inventiones, legumque conſcriptiones: HISTORIARVM vero ſcribendarum cura apud eos penè recentiſſima eſt. Ægyptiorum quidem & Chaldæorum Phœnicumque res (nam nos illis annumerare in præſentia omitto) ipſi utique fatentur vetuſtiſſimâ eâdemque conſtantiſſimâ proditas eſſe*

*memoriâ:*

*memoriã: ſiquidem & loca omnes incolunt aëris injuriæ minimè obnoxia, & ne quid rerum ſuarum ſilentio præterirent, ſed omnia in publicis monimentis à ſapientiſſimis ſemper conſervarentur ſummam operam dederunt. At Græciæ loca mille peſtes infeſtarunt, quæ rerum memoriam abolerent, ſemperque novam vitæ rationem ineuntes Græci, omnium ſe poſterorum ſuorum primos eſſe exiſtimabant. Literarum quidem naturam & ſerò & ægrè cognoverant; certe qui earum uſum vetuſtiſſimum eſſe volunt, eas à Phœnicibus & Cadmo didiciſſe gloriantur: quin nec ab illo tempore ullum extare vel in fanis, vel in publicis donariis monimentum literarum oſtendere quiſquam poſſit: quandoquidem etiam de iis qui ad Troiam tam multis poſt annis militarunt, magna dubitatio & quæſtio eſt, num literis uſi fuerint: & veriſimilius habetur, eum qui nunc eſt uſum literarum, illis ignotum fuiſſe. Iam vero apud Græcos nullum omnino de quo conſtet ſcriptum exſtat, quod ſit Homeri carmine antiquius. Homerum autem poſt Troiana tempora vixiſſe patet: Et ajunt, ne eum quidem in literas retuliſſe carmen ſuum: ſed memoriæ commendatum ex cantilenis poſtea compoſitum fuiſſe: eamque ob cauſam multis in locis diſcrepare. Iam qui apud eos res geſtas ſcribere aggreſſi ſunt, videlicet Cadmus Mileſius, & Argivus Acuſilaus, & poſt eum ſi qui alii exſtitiſſe perhibentur, hi paulò ante Perſarum in Græciam expeditionem exſtiterunt. Quin & eos qui de cœleſtibus diviniſque rebus primi apud Græcos diſſeruerunt, ut Pherecyden Syrium, ut Pythagoram, ut Thaletem, omnes uno ore confitentur, Ægyptiorum Chaldæorumq; fuiſſe diſcipulos, & pauca conſcripſiſſe, eoque Græcis omnium antiquiſſima videri, & ab illis ſcripta fuiſſe vix credunt. Poſſuntne igitur non immeritò gloriari Græci, quaſi qui ſoli antiqua norint, & earum veritatem accuratè tradant? Aut quis non ab ipſis Scriptoribus facile diſcat, ipſos nihil comperti, ſed ut quiſque de rebus conjectaret ſcripſiſſe? Certè in ſuis libris alii alios plerumque refellunt, & iiſdem de rebus diverſiſſima dicere non dubitant. Atque equidem ſuperfluus ſim, ſi eos quibus hæc quam mihi notiora ſunt, docere velim, quantum Hellanicus ab Acuſilao de originibus differat: quoties Heſiodum corrigat Acuſilaus: aut quo pacto Ephorus Hellanicum in pleriſque mentiri oſtendat, & Ephorum Timæus, & Timæum, qui ipſum ſecuti ſunt, & Herodotum omnes.*

*Græci quando literas acceperint.*

*Homeri carminis vetuſtas & an ab Homero ſcriptum fuerit.*

*Græcorum ſcriptorum diſcordia.*

*Quin*

*Quin neque de Siculis rebus Antiocho, & Philiſto, & Calliæ ſibi aſſentiendum eſſe Timæus exiſtimavit : neque rurſus de Atticis, qui Attica conſcripſerunt, aut de Argolicis, qui Argolica memoriæ prodiderunt, alii alios ſecuti ſunt. Denique opus eſt quæ breviora & ſingularum ſunt civitatum, recenſere, cum in PERSICAE expeditionis, ejuſque geſtorum narratione probatiſsimi authores diſſentiant? & in multis à quibuſdam accuſetur THVCYDIDES mendacij, qui tamen ſui temporis res geſtas videtur accuratiſsime conſcribere? Et tantæ quidem diſcrepantiæ cauſas forſitan alias quoque multas, ſi quæras invenias: ego duas, quas jam dicturus ſum, primarias eſſe cenſeo. Nam quod à primordio apud Græcos cura tum non fuit, ut ANNALES conficerentur, id in primis & errori cauſam, & mentiendi licentiam præbuit iis, qui poſtea de rebus antiquis ſcribere voluerunt. Neque enim ſolum à cæteris Græcis neglecti fuerunt annales, verum ne apud Athenienſes quidē (quos indigenas eſſe tradunt, & eruditione politiores) quicquā tale factitatum invenitur: quin publicarū literarum antiquiſsimas eſſe ajunt illas ſcriptas ipſis à Dracone de homicidiis leges, qui Draco vixit paulò ante Piſiſtrati tyrannidē. Nam de Arcadibus quid attinet dicere, antiquitatē ſibi arrogantibus? cum ii vix etiam poſtea literas didicerint. Igitur quia nulli antea exſtabant annales, qui & diſcendi cupidos docerent, & mentientes refutarent, effectum eſt, ut tanta illa exſtiterit inter authores diſcrepantia. Secundam cauſam hanc eſſe ſtatuendum eſt, quod qui ſcribere aggreſsi ſunt, non veritati ſtuduerunt (tametſi hanc ſemper profiteri ſoleant) ſed dicendi vim oſtentarunt, & eam ſcribendi rationem ſecuti ſunt, qua ſe aliis ſuperiores viſum iri exiſtimabant: nonnulli ad fabularum narrationes animum applicantes: alii ad gratiam aut urbes aut reges laudantes: alii res geſtas aut ſcriptores criminari aggreſsi ſunt, id ſibi laudi fore ducentes: denique planè contra quam poſtulat hiſtoria factitarunt. Eſt enim veræ hiſtoriæ indicium, ſi de iiſdem eadem omnes & dicant & ſcribant. At illi ita demum ſe veriſsimos omnium viſum iri judicabant, ſi eadem aliter ſcriberent. Hactenus Ioſephus.*

*Græcorum diſcrepantiæ cauſæ duæ.*

*Græcis annalium nulla fuit cura.*

PHILIP-

# PHILIPPUS PAREUS DAV. FIL.

## *Candido Lectori Salutem.*

*QVod aliis nonnullis operibus Parentis noſtri accidit, ut injuriâ Stratioticæ an cucullatæ nationis in Bibliothecæ triſtiſsimâ direptione ad Vrbis Heidelberg. ἅλωσιν, miſerè perierint: id accuratiſsimo huic labori Chronologico evenit quoque, quem, ut ex Operis ſciographemate conjicere potui, duobus integris capitibus truncatum prodire neceſſum eſt. Nam in* CAP. IX. erat uberior dilatatio ſeptimi & ultimi intervalli: h. e. annorum 487. hebd. à Cyro ad Alexandrum, continens Reges, & annos Perſicos, ex hiſtoriâ Eſdræ & Nehemiæ,

Reges Perſici ſunt I. Cyrus. II. Ahaſuerus. III. Artaxerxes. IV. Darius. V. Artaxerxes. VI. Ochus. VII. Arſes VIII. Darius.

Hujus duo ſunt characteres. Prior Iohan. 2. de 46. annis ædificati templi. Hi hauddubiè finiuntur in 6. anno Darij. Hic autem eſt Nothus inter duos Artaxerxes.

Hîc Græca hiſtoria longè majus ſpatium poſtulat à Cyro ad Darium Nothum. Vbi Piſiſtridarum tyrannis? bellum Medicum? Xerxis deſcenſus? Bellum Peloponneſiacum? *Alter* character eſt mors Alexandri Anno I. Olympiadis 114.

*De intervallo à morte Alexandri ad Chriſtum exciſum cõſtat*

CAP. X. Articulus II. de annis à morte Alexandri ad CHRISTVM natum, qui ſunt 322. per tres vias. 1. per Reges Syriæ, vel Aſiæ. 2. per Reges AEgypti. 3. per Conſules Romanos. Vbi oſtenſum, vias non conſentire: hiſtorias variè corruptas: teſtimonia Ciceronis, Livij, Ioſephi, Beroaldi pag. 208. Nihil igitur certi, niſi haberemus Cynoſuram Danielis. Articulus III. de anno natali, ætate, miniſterio, & anno paſſionis Chriſti.

Subjecta fuit Appendix de ſpatio à morte Chriſti ad everſio-

everſionem Vrbis: de Petri peregrinatione: An fuerit Romæ: & de Eccleſiæ & Apoſtolorum conditione.

*Hæc omnia ad perfectionem Chronologiæ Sacræ, admirabili ſtudio à Parente elaborata vidi: legi tunc, cùm ante hos viginti octo annos totam ſuam Chronologiam ad me miſſet Genevam Allobrogum, ubi ſtudiorum gratiâ tunc verſabar. Proinde non parvus me dolor angit, quòd bono publico hac parte non datur ſatisfacere. Nihil tamen dubito, quin eruditiores ex tam ſolido & immoto fundamento ſuperius jacto reliquam molem Chronologici ædificij Martis turbine an fulmine interciſam facilè ſint ſuperſtructuri. VALE, Lector benevole. Ex meo Muſæo Calendis Febr.* 1628.

# D. DAVIDIS PAREI CHRONOLOGIÆ SACRÆ INDEX.

Curriculum primum ab orbe condito ad diluvium annorum 1656.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 | In PRINCIPIO creavit Deus cœlum & terram: & ADAM primū hominem. Gen. 1. qui vixit annos 930. Gen. 5. 5. | | 101 | | |
| 10 | | 60 | 110 | | 160 |
| 20 | | 70 | 120 | | 170 |
| 30 | | 80 | 130 | SETH filius Adami, Patriarcha II, naſcitur anno Patris 130. Gen. 4 25. vixit annos 912. Gen. 5. 8. | 180 |
| 40 | | 90 | 140 | | 190 |
| 50 | | 100 | 150 | | 200 |

201
210
220
230
235 ENOS filius Sethi Patriarcha III, naſcitur anno patris 105. Gen. 4.26. vixit annos 905. Gen. 5.11.
240
250

260
270
280
290
300

301
310
320
325 CENAN filius Enoſi, Patriarcha IV. naſcitur ann. patris 90. Gē. 5. v. 9. vixit ann. 910 Gen. 5.14.
330
340
350

360
370
380
390
395 MAHALALEEL filius Cenan. Patriarcha V. naſcitur anno patris 70. vixit annos 895. Gen. 5.17.
400

| | | | |
|---|---|---|---|
| 401 | | 501 | |
| 410 | 460 | 510 | 560 |
| 420 | 470 | 520 | 570 |
| 430 | 480 | 530 | 580 |
| 440 | 490 | 540 | 690 |
| 450 | 500 | 550 | 600 |

IERED filius Mahalaleelis Pattiarcha VI. naſcitur anno patris 65. vixit annos 962. Gen. 5.20.

601

610

620

622 HANOCH filius Iered Patriarcha, VII, naſcitur anno patris 162. vixit annos 365. Gen. 5. 23.

630

640

650

660

670

680

687 METHVSALAH filius Hanochi patriarcha, VIII naſcitur anno patris 65. vixit annos 969. Gen. 5. 27.

690

700

701

710

720

730

740

750

760

770

780

790

800



800 I

801

810

820

830

840

850

860

870

874

880

890

900

**LEMECH** filius Methuſala Patriarcha, IX. naſcitur anno patris 187. vixit annos 777 Gen. 5. 31.

901

910

920

930

940

950

ADAM primus patriarcha moritur anno ætatis ſuæ & mundi 930 relictis poſt ſe octo patriarchus ſuperſtitibus. Gen. 5. 5.

960

970

980

987

990

1000

HANOCH Patriarcha, VII in cœlum tranſlatus à Deo anno ætatis 365. poſt obitum Adami anno. 57. ætatis Methuſalah anno 300. ante diluvium annis 669. Gen. 5. 24.

1001

1010

1020

1030

1040

1042 SETH patriarcha II, moritur anno ætatis 912 poſt patrem Adamum ann. 112. ante natū Noah, ann, 14. ante diluvium ann. 614. Gen. 5.8.

1050

1056 NOAH filius Lemechi Patriarcha, X. naſcitur anno patris 187. anno Mundi ineunte 1056 vixit annos 950. ante diluviū ann 600. poſt diluviū ann 350. Vnde IANUS bifrōs dictus, quia vidit utrumque mundū, ante & poſt diluviū. Gen. 5. 28. & Gen. 9. 28.

1060

1070

1080

1090

1100

1101

1110

1120

1130

1140 ENOS tertius patriarcha moritur anno ætatis 905. poſt Adamū avum ann. 200. ante diluviū an. 516. Gen. 15. 11.

1150

1160

1170

1180

1190

1200

1201
1210
1220
1230
1235 CENAN
Patriarcha,
4. moritur
anno æta-
tis 910. poſt
1240 Adamũ pro
avum ann.
305. ante
diluviũ ann
421. Gen.
5. 14.
1250

1260
1270
1280
1290 MAHALA
LEEL pa-
triarcha V
moritur an
no ætatis
895 poſt
Adamũ ab
avum ann.
360. ante
diluvium
ann. 366.
1300 Gen. 5. 17.

301
1310
1320
1330
1340
1350

1360
1370
1380
1390
1400

1401

1401

1410

1420

1422 IERED patriarcha VI moritur anno ætatis 962. poſt Adamũ ann 492. ante diluviũ ann 234. Gen. 5.20.

1430

1440

1450

1460

1470

1480

51 90

1500

1501

1510

1320

1530

1436 Anni 120. pœnitẽtiæ ante diluvium hic incipiunt. Gẽ 6.3.

1540

1550

a
1556 IAPHETH filius primo genitus Noah naſcitur anno patris 500. poſt Adamum ann, 626. ante diluvium an. 100

*

1558

1560

*

SEM filius Noah ſecundo genitus naſcitur anno patris. 502. ante diluvium ann. 98. Gen. 5.32. vixit ann. 600. Gen. 11. 11.

1570

1580

1590

1600

160

1610

1620

1630

1640

1650 LEMECH patriarcha, 9. moritur anno ætatis 777. ante diluvium ann. 5 Gen 5.31.

a b 1656 — a Methuſalah moriturGē 5.27.

c 1657 — b DILUVIUM incipit Gen. 7. 11.

d 1658 — c Diluviũ ceſſat. Gen. 8. 14.

1660 — d ARPHACHSAD filius Sem naſcitur anno ſecundo poſt diluvium: vixit annos 438. Gen. 11. 10.

1670

1680

1690

1693 SELAH filius Arpachſad naſcitur anno patris 35. diluvij 37. Vixit annos 433. Gen. 11. 12.

1700

1701

1710

1720

1723 EBER filius Selah naſcitur anno patris 30. diluvii 67. vixit anno. 464 omniũ qui à diluvio vixerunt poſterorũ Noah μακροβιώτατος Gen. 11. 14. A quo Abraham tandẽ appellatus eſt EBRÆVS Gen. 14 13. & poſteri ejus EBRÆI: potius quam à trajectu Euphratis.

1730

1740

1750

** 1757 — * PELEG filius Eberi naſcitur anno patris 34. diluvij 101. vixit ann. 239. Gen. 11. 16.

1760 — * CONFUSIO linguarum, & diviſio populorũ in BABEL unde Peleg tunc natus nomen accepit Gen. 10. 25. anno ætatis Noah 701.

1770

1780

1787 REU filius Peleg naſcitur anno patris 30. diluvii 131. anno Noah 731. vixit annos 239. Gen. 11. 18

1790

1800

1801

1801

1810

1819 SERVG filius Reu naſcitur anno patris 32. diluvii 163 ætatisNoah 763. vixit ann. 230. Gen 11.20
1820

1830

1840 NACHOR filius Serug avus Abrahami naſcitur anno patris 30. ætatis Noah. 793. diluvij 193. vixit annos 148 Gen. 11.22
1849
1850

1860

1870

1878 THERAH pater Abrahami filius Nachor naſcitur anno patris 29. diluvii 222 ætatisNoah 822. Vixit ann. 205. Gen. 11.32
1880

1890

1900

1901

1910

1920

1930

1940

1948 HARAN filius primogenitus Therah naſcitur anno patris 70. diluvii 292 ætatisNoah 892.
1950

1960

1970

1980

1990

1996 PELEG moritur Gē 11. 21.
1997 NACHOR avus Abraham moritur ann. æta. 148. diluvii 341. Noah. 941.
2000

| | | | |
|---|---|---|---|
| 123 | | | 2001 |
| 124 | | | 2 |
| 125 | | | 3 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| 130 | | | 7 |
| | 1 | ABRAHAM naſcitur : poſt diluvium ann. 352. vixit annos 175. Gen. 25. 7. | 2008 |
| | 2 | | 9 |
| | 3 | | 2010 |
| | 4 | | 1 |
| 135 | 5 | | 2 |
| | | | 3 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| 140 | 10 | SARAH naſcitur poſt diluvium ann. 362. decennio minor Abrahamo Gen. 17. 17. | 7 |
| | | | 8 |
| | | | 9 |
| | | | 2020 |
| | | | 1 |
| 145 | 15 | | 2 |
| | | | 3 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| 150 | 20 | | 7 |
| | | | 8 |
| | | | 9 |
| | | | 2030 |
| | | | 1 |
| 155 | 25 | | 2 |
| | | | 3 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| 160 | 30 | | 7 |
| | | | 8 |
| | | | 9 |
| | | | 2040 |

| | | | |
|---|---|---|---|
| 2001 | | 945 | 535 |
| 2 | | 946 | |
| 3 | | 947 | |
| 4 | | 948 | |
| 5 | | 949 | |
| 6 | NOAH moritur anno ætatis 950: poſt diluvium ann. 350. Gen. 9. 29. | 950 | 350 |
| 7 | | | |
| 2008 | | | 352 |
| 9 | | | |
| 2010 | | | |
| 1 | | | 355 |
| 2 | | | |
| 3 | | | |
| 4 | | | |
| 5 | | | |
| 6 | | | 360 |
| 7 | | | |
| 8 | | | |
| 9 | | | |
| 2020 | | | |
| 1 | | | 365 |
| 2 | | | |
| 3 | | | |
| 4 | | | |
| 5 | | | |
| 6 | REV moritur anno ætatis 239. poſt diluvium ann 370. Gen. 11. 21. | | 370 |
| 7 | | | |
| 8 | | | |
| 9 | | | |
| 2030 | | | |
| 1 | | | 375 |
| 2 | | | |
| 3 | | | |
| 4 | | | |
| 5 | | | |
| 6 | | | 380 |
| 7 | | | |
| 8 | | | |
| 9 | | | |
| 2040 | | | |

| Therah | Abrah | Anni Mundi |
|---|---|---|
| 165 | 35 | 2041 |
| | | 2 |
| | | 3 |
| | | 4 |
| | | 5 |
| | | 6 |
| 170 | 40 | 7 |
| | | 8 |
| 172 | 42 | 9 |
| 173 | 43 | 2050 |
| 174 | 44 | 2051 |
| 175 | 45 | 2 |
| | | 3 |
| | | 4 |
| | | 5 |
| | | 6 |
| | | 7 |
| 180 | 50 | 8 |
| | | 9 |
| | | 2060 |
| | | 1 |
| | | 2 |
| | | 3 |
| 185 | 55 | 4 |
| | | 5 |
| | | 6 |
| | | 7 |
| | | 8 |
| | 60 | 9 |
| 190 | | 2070 |
| | | 1 |
| | | 2 |
| | | 3 |
| | | 4 |
| 195 | 65 | 5 |
| | | 6 |
| | | 7 |
| | | 8 |
| | | 9 |
| 200 | 70 | 2080 |

| ANNI MVNDI | | Noach Diluvii. |
|---|---|---|
| 2041 | | 385 |
| 2 | | |
| 3 | | |
| 4 | | |
| 5 | | |
| 6 | | 390 |
| 7 | | |
| 8 | | |
| 9 | | |
| 2050 | SERVG moritur anno ætatis 230 poſt diluvium 393. Gen. II. 23. | 394 |
| 1 | | 395 |
| 2 | | |
| 3 | | |
| 4 | | |
| 5 | | |
| 6 | | 400 |
| 7 | | |
| 8 | | |
| 9 | | |
| 2060 | | |
| 1 | | 405 |
| 2 | | |
| 3 | | |
| 4 | | |
| 5 | | |
| 6 | | 410 |
| 7 | | |
| 8 | | |
| 9 | | |
| 2070 | | |
| 1 | | 415 |
| 2 | | |
| 3 | | |
| 4 | | |
| 5 | | |
| 6 | | 420 |
| 7 | | |
| 8 | | |
| 9 | | |
| 2080 | | |

| Therah / Iſaac | Abrah. | | ANNI MVNDI |
|---|---|---|---|
| | | | 1 |
| | | | 2 |
| 205 | 75 | ABRAHAM mortuo patre egreditur ex Haran, & accipit promiſſionem ſeminis ac terræ Gen. 12. v. 4. 7. Act. 7. 4. | 2083 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| | | | 7 |
| | 80 | | 8 |
| | | | 9 |
| | | | 2090 |
| | | | 1 |
| | | | 2 |
| * Curriculum tertium ab oraculo de ſervitute ad exitum populi annorum 430. | * 85 | ABRAHAM decennio poſt egreſſum ex Haran, διαθήκης κεκυρωμένης pactione firmata cum Deo accipit oraculum de SERVITVTE 430. annorum: qui hinc uſque ad legem numerantur Gen. 15. v. 13. 18. Galat. 3. 17 | 2093 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| | | | 7 |
| | 90 | | 8 |
| | | | 9 |
| | 92 | | 2100 |
| | 93 | | 2101 |
| | 4 | | 2 |
| | 5 | | 3 |
| ANNI Iſaac. | 6 | | 4 |
| | 7 | | 5 |
| | 8 | | 6 |
| | 99 | CIRCVMCISIO inſtituitur. Gen. 17. 1. | 2107 |
| | 100 | ISAAC naſcitur. Gen. 21. 3. vixit annos 180. Gen. 35. 28. | 8 |
| 1 | | | 9 |
| 2 | | | 2110 |
| 3 | | | 1 |
| 4 | | | 2 |
| 5 | 105 | | 3 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| | | | 7 |
| | | | 8 |
| 10 | 110 | | 9 |
| | | | 2120 |

| ANNI MVNDI | | Servitutis | Diluvii |
|---|---|---|---|
| 1 | | ANNI ſervitutis 430 annorum incipiun[t] Gen. 15. v. 13. Exod. 12. v. 40. | |
| 2 | | | 425 |
| 2083 | THERAH moritur anno ætatis 205 Gen. 11. 32. | | |
| 4 | | | |
| 5 | Abraham famis cauſa deſcendit in Ægyptum. | | |
| 6 | Gen. 12, 9. | | |
| 7 | | | 430 |
| 8 | | | |
| 9 | | | |
| 2090 | | | |
| 1 | | | |
| 2 | | | 435 |
| 2093 | Abraham ducit ancillam Agar. | | |
| 4 | ISMAEL naſcitur Gen. 16. v.3. 16. vixit ann. 137. | 1 | |
| 5 | Gen. 25. 17. | 2 | |
| 6 | ARPHACHSAD moritur ann. ætatis 438 Gen. 11.13. | 3 | |
| 7 | | 4 | 440 |
| 8 | | 5 | |
| 9 | | 6 | |
| 2100 | | 7 | |
| 1 | | 8 | |
| 2 | | 9 | 445 |
| 3 | | 10 | |
| 4 | | | |
| 5 | | | |
| 6 | | | |
| 2107 | | | 450 |
| 8 | SODOMA cœlitus evertitur. Gen. 18. Ammon & | 15 | |
| 9 | Moab ex inceſtu Lothi naſcuntur Gen. 19. 37. | | |
| 2110 | | | |
| 1 | | | |
| 2 | | | 455 |
| 3 | | 20 | |
| 4 | Iſmael anno ætatis 19 cum Agar matre ejicitur. | | |
| 5 | Gen. 21. 24. Eucherius. | | |
| 6 | | | |
| 7 | | | 460 |
| 8 | | | |
| 9 | | 25 | |
| 2120 | | | |

| Iſaac | Abraham | | Anni Mundi |
|---|---|---|---|
| | | | 2121 |
| | | | 2 |
| 15 | 115 | | 3 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| | | REBECCA naſcitur juxta Hebræos : nupta Iſaaco annos | 7 |
| 20 | 120 | nata 21. Vixit annos 137. | 8 |
| | | | 9 |
| | | | 2130 |
| | | | 1 |
| | | | 2 |
| 25 | 125 | ISAAC anno ætatis 25 offertur Deo à Patre Abrahamo | 2133 |
| | | Gen. 22. Ioſephus Antiq. l. 1. c. 24. Hebræi tamen in | 4 |
| | | Seder Olam anno 37 ætatis factum ſcribunt. | 5 |
| | | | 6 |
| | | | 7 |
| 30 | 130 | | 8 |
| | | | 9 |
| | | | 2140 |
| | | | 1 |
| | | | 2 |
| 35 | 135 | | 3 |
| | | | 4 |
| | | | 2145 |
| | | | 6 |
| | | | 7 |
| 40 | 140 | ISAAC quadragenarius ducit Rebeccam uxorem | 2148 |
| | | Gen. 25. 20. | 9 |
| 42 | 142 | | 2150 |
| 43 | 143 | | 1 |
| 44 | 144 | | 2 |
| 45 | 145 | | 3 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| | | | 7 |
| 50 | 150 | | 8 |
| | | | 9 |
| | | | 2160 |

| ANNI MVNDI | | Servitutis | Diluvij |
|---|---|---|---|
| 2121 | | | 465 |
| 2 | | | |
| 3 | | 30 | |
| 4 | | | |
| 5 | | | |
| 6 | SELAH moritur anno ætatis 433 Gen. 11. 15 | | 470 |
| 7 | | | |
| 8 | | 35 | |
| 9 | | | |
| 2130 | | | |
| 1 | | | 475 |
| 2 | | | |
| 2133 | | 40 | |
| 4 | | | |
| 5 | | | |
| 6 | | | 480 |
| 7 | | | |
| 8 | | 45 | |
| 9 | | | |
| 2140 | | | |
| 1 | | | 485 |
| 2 | | | |
| 3 | | | |
| 4 | | 50 | |
| 2145 | SARAH moritur anno ætatis 127 Gen. 23. 1. | | |
| 6 | | | 490 |
| 7 | | | |
| 2148 | | | |
| 9 | | 55 | |
| 2150 | | | 494 |
| 1 | | 57 | 495 |
| 2 | | 58 | |
| 3 | | 59 | |
| 4 | | 60 | |
| 5 | | | |
| 6 | | | 500 |
| 7 | | | |
| 8 | SEM moritur anno ætatis 600 Gen. 11. 11. | | |
| 9 | | 65 | |
| 2160 | | | |

| Anni Jacob | Iſaac | Abraham. | | ANNI MVNDI |
|---|---|---|---|---|
| | | | | 1 |
| | | | | 2 |
| | 55 | 155 | | 3 |
| | | | | 4 |
| | | | | 5 |
| | | | | 6 |
| | | | | 7 |
| | 60 | 160 | IACOB & ESAU gemelli naſcuntur patre Iſaaco | 2168 |
| 1 | | | ſexagenario Gen. 25. 26. anno ætatis Abrahami | 9 |
| 2 | | | 160. Iacob vixit ann. 147. Gen. 47. 28. | 2170 |
| 3 | | | | 1 |
| 4 | | | | 2 |
| 5 | 65 | 165 | | 3 |
| | | | | 4 |
| | | | | 5 |
| | | | | 6 |
| | | | | 7 |
| | | | | 8 |
| 10 | 70 | 170 | | 9 |
| | | | | 2180 |
| | | | | 1 |
| | | | | 2 |
| 15 | 75 | 175 | | 2183 |
| | | | | 4 |
| | | | | 5 |
| | | | | 6 |
| | | | | 2187 |
| 20 | 80 | | | 8 |
| | | | | 9 |
| | | | | 2130 |
| | | | | 1 |
| | | | | 2 |
| 25 | 85 | | | 3 |
| | | | | 4 |
| | | | | 5 |
| | | | | 6 |
| 30 | 90 | | | 7 |
| | | | | 8 |
| | 92 | | | 9 |
| | | | | 2220 |

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1 | | | 505 |
| 2 | | | |
| 3 | | 70 | |
| 4 | | | |
| 5 | | | |
| 6 | | | 510 |
| 7 | | | |
| 2168 | | 75 | |
| 9 | | | |
| 2170 | | | |
| 1 | | | 515 |
| 2 | | 80 | |
| 3 | | | |
| 4 | | | |
| 5 | | | |
| 6 | | | 520 |
| 7 | | 85 | |
| 8 | | | |
| 9 | | | |
| 2180 | | | |
| 1 | | | 525 |
| 2 | | 90 | |
| 2183 | ABRAHAM moritur anno ætatis 175 Gen. 25 7. | | |
| 4 | | | |
| 5 | | | |
| 6 | | | 530 |
| 2187 | EBER moritur anno ætatis 404. Gen. 11. 17 | 95 | |
| 8 | | | |
| 9 | | | |
| 2190 | | | |
| 1 | | | 535 |
| 2 | | 100 | |
| 3 | | | |
| 4 | | | |
| 5 | | | |
| 6 | | | 540 |
| 7 | | 105 | |
| 8 | | | |
| 9 | | 107 | 544 |

| Iſaac | Iacob | | ANNI MVNDI |
|---|---|---|---|
| 93 | 33 | | 2261 |
| 94 | 34 | | 2 |
| 95 | 35 | | 3 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| 100 | 40 | ISAAC cum Rebecca famis cauſa peregrinatur in Gerar | 2207 |
| | | apud Abimelechum Gen. 26. | 2208 |
| | | | 9 |
| | | | 2210 |
| | | | 1 |
| | | | 2 |
| 105 | 45 | | 3 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| | | | 7 |
| 110 | 50 | | 8 |
| | | | 9 |
| | | | 2220 |
| | | | 1 |
| | | | 2 |
| 115 | 55 | | 3 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| | | | 7 |
| 120 | 60 | | 8 |
| | | | 9 |
| | | | 2230 |
| | | ISMAEL moritur anno ætatis 137. Gen. 25.17. | 1 |
| | | | 2 |
| 125 | 65 | | 3 |
| | | | 4 |
| | | | 5 |
| | | | 6 |
| | | | 7 |
| 130 | 70 | | 8 |
| | | | 9 |
| | | | 2240 |

| ANNI MVNDI | | Servitutis | Diluvii |
|---|---|---|---|
| 2201 | | 108 | 545 |
| 2 | | 109 | |
| 3 | | 110 | |
| 4 | | | |
| 5 | | | |
| 6 | | | 550 |
| 2207 | | | |
| 2208 | Eſau quadragenarius ducit uxores Cananæas | 115 | |
| 9 | Gen. 26. 34. | | |
| 2210 | | | |
| 1 | | | 555 |
| 2 | | | |
| 3 | | 120 | |
| 4 | | | |
| 5 | | | |
| 6 | | | 560 |
| 7 | | | |
| 8 | | 125 | |
| 9 | | | |
| 2220 | | | |
| 1 | | | 565 |
| 2 | | | |
